



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 F
39

GVIDONIS VANNINII I. C. CIVIS LVCENSIS & Romani,

CARMINVM Libri Quattuor.









LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCXI.





EXCELLENTISSIMO SENATVI LVCENSI.



DIGNA Thalete sententia, Τὸν κρατοῦντα τίμα, *Imperantem honora*, in quâ nostrum Principem quouis honore prosequi iubemur, nec iniuriâ. Inter innumeros enim fructus quos colenti se parit honor, quem nostro secundùm Deum Deo præstamus, meritorum naturæque vi, ille non minimus est, vt honorantem maximè honoret. Hùc mea Musa non minùs officiosa quàm ambitiosa; hùc meæ Vigiliæ laborésq; contendunt; hîc mihi Saltus hîc Rhodus; quod profectò fuit in causa, vt hoc qualc-

cunque ſit Aranearum penè dixerim opus in lucem proditurum, vobis, quorum in ære viuo, conſecrauerim. Iuuit tamen mei Principis, & Patriæ, ſparſim me laudes attingere, & illud religiosè (quod rarum inter huiuſmodi opera) obſeruare, ne à Feſcennino lepôre auram captarẽ immortalitatis; Caſta placent ſuperis, vobis caſta, caſta Muſis. Agnoſcite Excellentiſſimi Senatores, *præſidium ac dulce decus meum*, Veſtri Ciuis, & Vatis, non in vtramque aurem dormientis obſeruantiam; & maiora optanti quidem, ſed non præbenti, veſtræ prærogatiua humanitatis ignoſcite. Primum mearum Orationum Volumen ſub veſtris Auſpiciis propediem exiturum condo & compono. Interim Patres Clariſſimi, ſtudio verè paterno quod offero, perlibenter excipite, ac ſtadium veſtrarum laudum curren-

tem beneuolentiæ veſtræ aura prouehite. Deus vos cumulatiſſimè fortunet. Valete, Lucæ, Cal. Maij CIↃIↃCXI.

Addictiſsimus ſeruus

GVIDO VANNINIVS.



HORATIO CARDON,

Consulatum Lugdunensem gerenti, Gallias illustrantis rei Typographicæ titulis Viro splendido.

INgenia quicquid rara longis condere
Possunt vigiliis, quicquid expensum diu
Sophorum acumen, per tuos CARDON *Typos*
Æternitati consecras, quódque arduum,
Adæquat opera haud tuus adæquandus labor;
Haud secus Hydaspes quas parit gemmæ nitent,
Auro illigatæ, nec secus stellæ polo
Fulgent sereno: viue CARDON *inclyte,*
Victurus vsq; post sepulchrum, Posteris.

DE



DE DEI FESTO LIBERTATI DICATO

PANEGYRIS.

MVSA triumphales cur Libertatis honores,
Qui Lucam super astra ferunt, celebrasse moraris?
Te Patriæ virtutis Amor, te gloria segnem
Excitet ardenter, luxit celeberrima fastis,
Innumerisque dies maiorum clara trophæis;
Hæc Proauos Atauósque æterno nomine dignos
Reddidit æternos, animos depone iacentes,
Et molire nouos audaci pectore cantus;
Solemnes audis meditentur vt omnia pompas?
Cernis vt ad celebres inuitent omnia ludos?
Splendida densantur Populorum compita crebris
Agminibus, fulgent numerosa tapetia latè
Persarum picturato fabricata labore;
Omnia lætitiæ indulgent, tormenta corusci
Fulminis in morem tollunt ad Sydera bombos,
Nocturnique ignes cæcas fulgore tenebras
Expellunt noctis; concurrunt vndiq; læta,
Et libertatis celebrant præconia Gentes;
Fausta Vir & mulier recinit, sacro ordine pubes
Atque Sacerdotes Magno pia vota Tonanti
Soluentes, grates referunt pro munere solam
Quòd vehit Etruscos inter super æthera Lucam;
Hæc nomen memoranda dies Lucense beauit

Reddidit hæc lucem Lucæ; fuit obruta longùm
Luca tenebrosis miseranda Tyrannidis atræ
Heu nimbis, & sanguineis oppressa procellis.
Fudit in immeritam quæ non furor hosticus? ensis
Est rabies expleta, sitim patientia vicit.
Haud secus insontem ieiunis dentibus Agnam
Balantem frustrà frustrà auxiliúmque vocantem
Discerpit miserùm, manus insatiata luporum;
Vota tamen placida tandem Deus ebibit aure,
Innocuámque iugo Caroli sub vindice dextra
Exemit, voluitque suæ dare libera genti
Imperia, & notam fieri per secula Lucam.
Orta dies pompas renouat, feriémque vetustam
Seclorum iubet esse hilarem, Lux fausta reduxit
Hæc libertatem, Virtutibus vndique raris
Præcinctam, quibus æternùm stet libera, donec
Circumagat Titan stellis fulgentibus Orbem;
Hinc pietas, debellatis, quæ monstra Baratrum
Euomit, explicuit latè sua signa, nitore
Exornata nouo, & claris radiata Trophæis;
Infidis seruata fides splendentior, aureum
Agmen agens, proprios Titulos famámque beauit,
Dum sacrat æternis quæ fecerit inclyta fastis.
Quid memorem quantus sacris accesserit Aris
Splendor, & Assyrio Maiestas pulchrior ostro?
Quam non longa dies nec rerum turbidus ordo
Imminuit, sed iure magis defensa Nepotum
Certatim studijs ad culmina vexit honores;
His opibus subnixa suum Respublica Nomen
Extulit, & Proauos vicit melioribus ausis;
Prisca nouis cedant, noua sunt potiora vetustis,
Hoc probat egregij Concordia summa Senatus,
Et populi admirandus Amor, quo fœdere praui
Quicquid habet vis hostilis, siue agmina Ditis
Quicquid habent fraudis conspirantisque veneni

Luditur

Luditur, & nullo LIBERTAS *læditur hoste.*
Collis Auentinus si quondam templa superbo
Huic Libertati sumptu fabricata recepit,
Et dites laudauit opes; Lucensia mores
Pectora Romanos vincunt, sunt corda verendum
Vnicuique suum templum, Matrúmque mamillæ
Erudiunt teneros quos pascunt lacte puellos,
Insigni vitam pro libertate pacisci.
Hinc amor in patriam est, hinc ciuis fortiter ausa,
Hinc seris mansura fides per secula Natis:
Hinc miles paruo consuetus viuere, certum
Nescius igniuomis mentiri glandibus ictum,
Inuictus conflat selecta pube Phalangas;
Sic sibi virtutum stimulos, sic semina laudum
Certatim proles illustribus inclyta factis
Proponit, veróque ardens sectatur honores.
Inuigilat constans Prudentis cura SENATVS,
Quem ratio non ira trahit, qui gaudet amore
In ciues plusquàm ferro, quo vindice priscæ
Stant leges, surgunt q; nouæ, ceu sydera Cælo,
Quas ipsi laudant hostes, & Patria victrix,
Extremas penetrat refluentis Tethyos oras,
Atque Atlanteos transcendit Luca recessus.
Vos ne Patres quorum iusto Respublica nutu
Stat sospes, regitúrque beata, ingratus omittam?
Vobis vindicibus scelerum fœcunda propago,
Et quicquid Baratrum eructat Lucensibus oris,
Deijcitur centum circumuallata Ministris
Dira Venus, quæ Circæis præsentiùs herbis
Efferat humanos sensus, Liuórque Timórque,
Atque importuno petulans Audacia vultu,
Et luxus grassator opum; Vos mente paterna
Munificáque manu numerosa rependitis vltrò
Turpis egestatis dispendia; vestra patescunt

Horrea pauperibus, numquam pia dextera tardam
Sensit opem, nam prævertit medicina dolores,
Publicus & census Populo deseruit egeno.
His ego prætulerim Fabios? fortésue Metellos?
His Scauros vel Fabricios? vel paupere cultu
Sarranos? olim Romanæ lumina Gentis?
Haud equidem: nam vestra Fides spectatur ubiq;
Et validis Hostes vires mirantur in armis;
Illustrat vestros æquè Toga clara Triumphos
Atque sagum; seu res composta pace quiescunt;
Seu toruus trepido Mauors quatit omnia bello;
Vos secura quies Populo, vos maxima rerum
Spes; labor inuictus, vos ardua gloria, per vos
Ornatur præmaturis Industria donis,
Egregiósque ferunt insignia præmia mores.
Summe Pater, clari magnus dominator Olympi,
Cuius ab auspiciis hæc pendent omnia, quiq;
Numine pacato Lucensia facta secundas,
Annua quos LIBERTATIS *fert pompa Triumphos,*
Æternos fac esse tuis Lucensibus, vnde
Accrescat tibi maior honos, addictáque Cœlo
Luceat æternùm Prudenti LVCA SENATV.



In Sacram Deiparæ Virginis Imaginem, quæ Lucæ miraculis admiranda colitur.

NOn tacitam te Diua sinam, cui totus Olympus
Assurgit, gaudétque tuos celebrare Triumphos:
Cui mortale genus solemnes dedicat aras,
Votorúmque reum innumeros largitur honores,
Quam colit ante alias obseruantissima cultus
Luca tui, nam templa tibi, tibi maxima centum
Constituit delubra, quibus flagrantia thura

Thura

Thura coloratis fumant aduecta Sabæis.
Cætera templa tamen tantum præcellit, in axe
Aurea conspicui quantum splendentia solis
Lumina sideribus; tua quod iustissima fontem
Ira hominem parcè plectens erexit ad astra,
Diues opus gemmis & maiestate verendum,
Ira fuit Pietásq; fuit: sæuo agmine Ditis
Impius ad Stygias raptari iurè cauernas
Debuerat, rapidi vel fulminis ignibus vri:
Mater es, ô Numen miseris placabile, nescis
In Natos sæuire tuos; tua Pignora censes
Quos furor & rabies in te dira arma mouere
Instigant? nec iura volunt seruare Parentis?
Quem non te, promptam misereri & plectere segnem,
Laudauisse iuuet? quando Stygia ore vomentis
Flagitia, & iactis (scelus ô ô miserabile) talis
Lædentis sacram effigiem punire furentem
Fas dextram tibi Diua fuit, Clementia Matri
Vsque adeo placet, in Prolem Indulgentia pœna est;
Si te contemnit, temnentem diligis, vltrò
Iurgia dira mouet, condonas iurgia, se dat
Hostibus illa tuis, reuocas clementer & vrges
Vt redeat; nocet illa, iuuas; mouet arma, rebelli
Auxiliare tamen; fert vulnera, dulcia præbes
Oscula, & ingratam clemens tutaris amantem,
Tantus amor generis seruandi & gloria nostri;
Vidimus effigiem manifesta in luce ferentem
Omnibus ægrotis mira pietate salutem;
Vndique concurrunt celeres ad Numen egenæ
Diua tuum, Gentes; diuersis finibus agros
Non obiecta maris dispendia, mille viarum
Vesanæq; hyemis non mille pericla morantur:
Munera mittit Arar ditissima, Sequana mittit
Admirandi operis monumentum, diues Iberus

Huc

Huc Tartessiacas felici è pectore gazas
Aduehit, effigiémque sacram venerandus adorat;
Non votiua capit magnum donaria templum,
Parietibus nitet argentum, sublimis in auro
Præfulget tholus, & gemmarum pondere nutat
Ara dicata tuis castissima Virgo triumphis;
Vidimus infernis diuturno tempore turmis
Corpora Christiadum grates referentia, nutu
Libera facta tuo, caligantésque tenebras
Ex oculis pulsas, quorum longissima vita
Nox æterna fuit, mutilatáque membra vigorem
Antiquum renouasse suum; votiua loquuntur
En monimenta sacris latè pendentia tectis.
Te rapidis quassata notis, quassata procellis
Cycladas Ægæas inter Syrtésve vadosas
Auxilijs deserta suis, decimámque ruinam
Passa procellarum, sospes te Numen amicum
Concelebrat, Patriámque suam portúmque reuisit;
Auspice te vis nulla nocet, furibundus Orion
Hesperiaque Tyrannus aquæ Capricornus amica
Sidera sunt Nautis, coniuratique vagantes
Deposita feritate vehunt per cærula classes;
Nil Massilææ telluris monstra venenis,
Pestifero nil ore nocent, sitis, ardor, arena
Agmina serpentum Libycis nutrita sub oris:
Vnda, ignis, tellus, aër famulantur vbique,
Agnoscuntq; tuos, tanta est reuerentia nutus;
Horribiles tu Bellonæ dum comprimis iras
Illustres ima Populos à stirpe metentes
Lucenses tua Gens optata pace fruuntur.
Curia quicquid agit recti studiosa secundis
Auspicijs confisa tuis molitur, inertes
Et procul esse iubet constanti mente timores;
Stat contrà sublime tuum fortissima in hostes

Arx

Arx veluti Templum, sanctus petit unde Senatus
Præsidia in trepidis numquam fallentia rebus
Sunt dubiæ mentes? fulges nitidissima lampas,
Et tenebras radiata fugas; torpore residunt?
Inijcis ardentes subter præcordia flammas,
Quóque placet compellis, agit pia Pectora mitis
Numinis aura tui, consolatúrque iacentes;
Extollit merita sic libertatis honores
Prouida Luca suos præceps quà perflat anhelis
Eurus equis, & quà Zephyrus placidissimus aura
Mulcet amabiliter, necnon bacchatur ab Arcto
Percitus unde furor Boreæ, vel nubilus Auster
Unde mouet pluuias tempestatésque sonoras.
Hæc titulis addicta tuis addicta Triumphis,
Haud procul à pedibus deiecta casside, cuius
Fortis inaurato surgit Panthera galero,
Depositóque solo clypeo, qui pulcher utroque
Purpurat & candet, fortes exerta lacertos,
Denudata latus dextrum, tamen Inda fluentes
Stringit gemma sinus; crines neglecta decoros,
Purpureos elata oculos & poplite flexo
Ante tuas Aras hæc læta voce precatur.
Diua parens Virgóq; Parens, Diuûmq; Hominumq;
Et Decus & Numen, placida quæ suscipis aure
Vota libens effusa tibi; res aspice nostras
Et Natam tutare tuam; Sanctissimus olim
Paulinus tibi me charo pro pignore latam
Constituit, Templúmque tibi centumq; dicaui t
Sacris ille tuis operosi marmoris Aras,
Prima quibus fluxere meæ incrementa salutis
Præsidijs firmata tuis, te vindice sæuo
Subtraxi mea colla iugo, te vindice cara
Libertate fruor, Duce te nil demoror hostes.
Tu mihi me seruas, tu tradis sceptra, Deumq;
Concilias,

Concilias, tu das æterna pace potiri,
Bellorúmque facis libertatísque potentem;
Progeniem defende tuam, tua cara perennis
Sit tibi Luca, Patres, tua Pectora, numine dextro
Diua foue, tu subde animos, tu dirige mentes
Quò Pietas Rectúmque vocant; maioribus ipsa
Libera sic latè cumulabo altaria donis,
Æternumq; tuos celebrabo læta Triumphos.



De Cruciatibus Christi Domini habitum In Aula maxima Collegij Romani.

POEMA.

ÆQuora dum lugēt, Tellus dū luget & Æther,
Dum viduata suo torpet Natura Magistro,
Æternumq; iubar medio Dux lucis Olympo
Obducit, cæca nimium sub nube dolorem
Testatus, moueat mœstas mea Musa querelas.
Vos Romana cohors primis nutriuit ab annis
Quam pietas, cladis memoro dum sæua nefandæ
Supplicia, insontem mecum miserescite Regem,
Humentésque genas pleno suffundite riuo.
I sacidum furiata manus iam læta cruento
Præsidis Imperio pondus ferale Tonanti
Gestandum dederat scelerati ad culmina montis.
Interea Gabriel Reginæ haud immemor altum
Præ se vulnus agens, notam subit impiger Aulam
Nuncius, & Dominam veneratus talibus infit.
Venit summa dies, nostro ô lux debita Regno,
Quam Vates cecinere sacri, cecinere Sibyllæ,
Hanc tibi diuino quondam stimulatus ab œstro
Prædixit Simeon, proh quantum crimina possunt,

Et tunc ille tibi fælicis nuncius olim
Temporis, extremam triſtis denunciat horam;
Læta tuli, nunc mœſta fero, precor aſpice vultus
Dia meos, veróſque hauri iam mente dolores.
Senſerat Omnipotens Rector ſuperûmque hominūq;
Aduenisse diem, duro quo ſtipite Natus
Humani generis penſaret morte ſalutem:
Tunc ſic me alloquitur ſolio ſublimis ab alto;
Eia age Gethſemanes pernix allabere colles,
Colles qui noſtri iam flumine ſanguinis vndant,
Progeniémque meam dictis ſolare iacentem;
Ille nihil meruit, proprijs aliena repellit
Crimina ſupplicijs, fateor, non digna ferentem
Innocuúmque petit vindex mea dextera Natum,
Mens immota manet, ſæuo ſcelus enſe ſecandum eſt,
Quo vaſti mundi moles operoſa laborat;
Nulla ſalus nocuo Generi, immedicabile vulnus,
Ni caput innocuum pereat, mors morte pianda eſt,
Iudicis offenſi tonet ira, paterna ferat mens;
Iuſtitiæq; locus detur; ſic ille ſalutem
Gentis emat, redimatq; nefas, ſit pignus amoris
Ipſe cruor; ſumma hæc: morituro nuncius ibis.
Vix ea fulmineo ſuperûm cùm ſaucia telo
Indoluit pubes, Ora indoluêre ſupremæ;
Necnon Aſtra ſuum, ſortem indignata parentis,
Occuluêre iubar, tacitáq; dedêre querelas.
Aſt ego mandatum accelerans, per denſa citato
Nubila Noctis eo curſu, iam iamq; videbam
Bethlemias rapidus Turres Solymamq; ſuperbam.
Gethſemani at poſtquã mihi cognita culmina collis
Anxius alato tetigi pede; multa gementem
Proiectúmque ſolo ſudantémque amne cruoris
Aſpicio extemplo Dominum; meminiſſe figuræ
Mens horret, luctúmque fugit, vox faucibus hæret;

Immo

Immo age, Virgo refert, seriémq; expone laborum,
Fare quid Isacidûm potuerunt aspera corda,
Quid rabies innata animis, quæ sæua relictum
Mors maneat, nec me per longa exorsa morare;
Annuit his Gabriel, quelúlaque est voce secutus.
Dicta reportaram; dictis nihil ille repugnat,
Sed cupit indomitam moriendo vincere Mortem,
Cælestésq; aperire fores & claudere Ditis;
Interea ecce tibi latronum dira Caterua
Missilibus munita, truci munita securi,
Intrepidum mirata Virum, ruit omnis in illum
Impatiens, mitémque ligat compagibus arctis:
Ac veluti apprensum furiali dente luporum
Sæua phalanx agnum, nunc hinc, nunc rictibus illinc
Attrahere inter se certant, it rumor ad auras,
Secretaq; sonant sylua saltusq; propinqui,
Ille hæret, nullósque audet dare corpore motus;
Haud aliter facta Dominum cinxêre corona
Turba ministrorum; pars ferrea vincula collo
Iniicit, insontis faciem pars tundere gaudet,
Pars laniare comas, omnes illudere capto:
Aufugere metu comites, hunc Palladis Arbos,
Illum densa tegit quercus, spes omnibus vna est
Credere se pedibus, viridemq; relinquere collem;
Ergo sponte sua vinctum stimulántque trahuntq;
Et cogunt odisse moras furialibus hastis;
Iamq; Sacerdotis summi solia alta subibat,
Cùm populi infensi Proceres venientis ad ora
Se vertere truces, densatóque agmine magnam
Multisonis aulam clamoribus impleuêre.
Proh quantum cæca mortalia pectora noctis
Sæpe tenent, ipso in sceleris molimine, Turba
Isacidum putat esse pia, atque à crimine sumit
Fœcundam laudis segetem famamq; perennem.
Iam

Iam caput extollens denſiſſima ſidereum Nox
Quadriiugo medij curru pulſabat Olympi
Stelliferam metam, tacito cùm lucida Cæli
Lumina voluuntur lapſu, cùm feſſa quietem
Corpora amant, ſyluæq; ſilent, ſilet arduus æther,
Terrarumq́; mariſq́; vagum pectus omne quieſcit;
At non Carnificum ſitis inſatiabilis vllam
Soluitur in requiem, ſpernens dare corpora ſomno
Ingeminat plagis plagas, atq; ictibus ictus.
Illius infandæ noctis quis vulnera fando
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare dolores?
Heu crudele nefas, Hominum, prò dira libido,
Ille Deus Deus ille manu qui temperat aſtra,
Tartarei metuunt quem tertia regna profundi,
Cuius ad imperium ſiſtunt vaga flumina curſum,
Æquoraq́; indomitum ponunt rabioſa furorem.
Ille Deus Deus ille timent quem ſidera, quem Sol,
Per populos latè notiſſima fabula vulgo eſt,
Scilicet hic ſuperûm molitor & arbiter Orbis?
Vltima ſors hominum? Cæli tu miſſus ab ipſo
Regnatore? Dei tu proles? nunc age tandem
Vaticinare. taces? qui ſis tua facta loquuntur;
I nunc, vane, doma ventorum flabra furentum,
Siſte amnes fluuioſq́; truces mirantibus vndis;
Olim qui poteras alijs afferre ſalutem,
Nunc proprijs affer plagis periture medelam.
Talibus illudens capto fremebunda Iuuentus,
Non oblita ſui nec cæci oblita furoris,
Exultat victrix, palmaq́; animoſa ſuperbit,
Tanta mali nubes miſerorum obduxerat ora.
Sed quid ego hæc tantùm? ſeries ſi vaſta laborum
Prægrauat inſontem, ſi mille pericula reſtant?
Nocturnas benè picta faces Aurora fugarat,
Clarus & æthereo Titan fulgebat in axe;

Pontius

Pontius insontem cædi iubet, ocyus omnes
Præcipitat fera turba moras, miserabile dictu,
Ad durum Domini religarunt brachia saxum,
Brachia quæ totum circumplectuntur Olympum;
Tristia sanguineos soluunt in vulnera fasces,
Sortitíque locum, & media plus parte lacertos
Nudati, incumbunt operi, iactántque flagella;
Nulla quies; sacrum laniat seges horrida corpus,
Regalis gemit aula truci sub verbere, multa
Carnifices simul extollunt vi brachia, Caurus
Non tot agit Nimbos, Autumni frigore tacta
Non tot sternuntur frondes per opaca locorum,
Quot sunt membra Dei virgis quassata cruentis;
Nullus abit sine plaga ictus, totidémque videntur
Quot plagæ, in miserum ruere atq; irrũpere mortes;
Infrendens rabiosa cohors sua lumina pascit
Sanguine qui plenis manabat corpore riuis:
Iam loca vulneribus deerant, cruor undiq; largus
Detectiq; micant nerui, tremulaq; sine vlla
Pelle natant venæ, spirantia viscera latè
Vitalésque toros numerare in pectore posses;
Si talem Mater vidisses optima Natum,
Tu ne meum pignus? dixisses. Pignoris vmbra hæc
Vmbra mei Nati, non Natus, inanis imago est,
Carnificum tantum potuit vesana libido.
Heu feror è cæde ad cædem, post funera funus
Tristius aspicio, paliuro intexere dumos
Horrentésque parat sentes; petere inde coronam
Vt queat innocuo capiti, potis impia tantùm
Turba Ministrorum? flauentia tempora multo
Vepre premit, viden' innumeros vt arundinis ictus
Incutit immeritúmque canino dente lacessit?
Iam color in facie nullus, nigra lumina mœstis
Stant immota genis, nihil est in corpore viuum;
Ipsa

Ipsa sibi est oneri ceruix, perfusa cruore
Ora madent, vultus vicina morte labascit;
Hanc in conspectu populi exposuêre figuram
Nudã humeris, pectúsque, sacróque & poplite plãtas,
Vix gracilis medium corpus velabat amictus.
Torpuit aspectu Cælum, conterritus aureos
Obduxit nigra Titan ferrugine vultus:
Non tamen effigies Domini miserabilis hostem
Expleuit, magis excrescit vesana cupido
Sanguinis, & sese summas hortatur in iras;
E medio, Romane, caput nunc tolle superbum,
Turba tonat, nostris monstrum citus aufer ab oris,
Dede neci, vitam cum sanguine poscimus omnes,
Sin minùs, Ausonidúm Ducis experière furorem
Cæsareásque manus: iste iste est Cæsaris hostis.
Pontius (indignum facinus nullique secundum)
Pontius, infandis cedit clamoribus, expers
Consilij, tristiq; insontem destinat aræ.
Vt lethi signum sublimi Prætor ab arce
Extulit, & dirum cecinerunt cornua cantum,
Persurit armorum sonitus, vexilla per auras
Ambiguos ducunt flexus, crudele minantur
Horribiles litui, resonant vlulatibus omnia,
Omnia dant gemitum, mœstum dant omnia luctum.
Prægrauat interea Crux formidanda Tonantem,
Prægrauidam subit ille trabem, nec ferre recusat;
O Solyma, ô Terra, ô superùm domus, arduus æther,
Funereo sub fasce quater cecidit, quater ore
Telluri incubuit moriturus; sauà Iuuentus
Carnificum telis fessum iam iámque obeuntem
Sollicitat, cogitque moras odisse: flagello
Impiger hic ferit exanimem, stricta increpat alter
Cuspide, vis nulla est, ni pendeat arbore ab alta.
Sed quid ego hæc Virgo tam longa ambage secutus?

Rumpe

Rumpe moras, iter urge, ipso in discrimine Nati
Supremum solamen erit tibi cernere prolem.
Dixerat, illa gradum celerans, è paupere tecto
Exilit, atque premens alto sub corde dolorem,
Sedula tendit iter funesti ad culmina montis.
Vt sobolem stetit ante suam, sic anxia secum;
Secum, (virgineus pudor obuallauerat ora.)
Hunc ne ego te Nate aspicio? tu Nate parentis
Sera quies? quæ in te tantum potuêre procellæ?
Illa est hæc facies in qua Matérque Patérque
Cognosci poterant? hic ridet fulgor in ore?
Hinc oculi similes Astris & eburnea colla?
Hæc ne Dei vera effigies? Hæc ne illa decora
Cæsaries? hæc frons stellarum impexa corona?
Hic ceruicis honos? hæc ora nitentia? nosco
Infelix simulacrum, agnosco Pignoris umbram,
Non pignus: tantúmne animis mortalibus ausum?
O vulgi grauis ira, & inexaturabile pectus,
Ebibe nunc toto qui manat corpore sanguis,
Nunc exple rabiem, crudelia lumina pasce,
Ast tu quò properas misera spes unica vitæ?
Quò trahere exul, inops, Materno raptus ab ore?
Quò miserùm, periturus abis? eheu dolor ingens
Carnifici fœcunda fui, fœcunda furori.
Sic ait exanimis, iámque illam plura volentem,
Vox sua destituit: Natus pauca inde secutus,
Desine me Mulier mœstis urgere querelis,
Desine, nil prosunt questus, mors morte pianda est,
Dum iubet ira Patris, tu sauo assuesce dolori,
Iamq; vale, rapior Virgo, vale optima Mater;
Dixit, & horrendum collem moriturus adiuit.


Preca



Precatio ad Deum.

Summe Pater, Pater omnipotens, qui cõcutis Orbē
Lucentesq́; globos, nutu mihi dexter adesto,
Si qua operis tibi cura mei, melioribus orsis,
Et qua mens aperit melior, cape vota precésq́;
Nobile propositum; sed idem quod mentibus ipse
Inseris, haud tanti mihi vena boni, aspice quantis
Iactetur mea vita malis; hinc praua voluptas
In mea damna ruit, ruit hinc insania mentis
Circaas superans artes, succóque nefando
Pocula dira parat diris infecta venenis,
Delicijs animum nunc torquet, nunc bibere Hebrũ
Et Tartessiacas vndas stolidissima quarit,
Occultans pulcra nocuas sub imagine fraudes;
O quoties oblita sui, se tollit in altum,
Ac veluti Niobe miseram quam copia fecit,
Respicit humanos cursus, tentátque per oras
Dirigere aëreas gressum ambitiosa citatum;
Tum felix sibi visa, suas latè explicat alas,
Alas exiguo ruituras impete venti;
Tum sibi nobilibus fingit subnixa columnis
Atria, regalesq́; domos, tum sceptra sacrúmque
Iactabunda gerit diadema, exultat egena
Attalicis opibus, calcátque miserrima magnos
Terrarum anfractus, totum & quem deperit orbē;
Non aliter falsa deceptus imagine somni
Tractat auarus opes animo, fictisque dolosum
Pascit imaginibus visum, furit ardor habendi,
Vixque sibi credens iterumq́; iterúmque retractat
Anxius auratam messem, cupidisq́; tueri
Luminibus gaudet, congesto pauper in auro;
Mille dolos magicásque artes gestúsque nocendi,

Mille



Mille vias reperit fallendi, mille figuras:
Non per tot flexus labyrintheasq; viarum
Ambages Phrygius currit Mæander in æquor,
Dum famulas exercet aquas, & circinat undas;
Sæpe quoq; inuisis apponit pocula labris,
Pocula Tartareos longè spirantia sensus;
Non portentificis circumuallata colubris
Lernæi monstri in damnum crescentia colla
Tot steterunt subitas latè minitantia mortes,
Non tot agit nimbos hyemis mundiq; Tyrannus
Coniuratorum fratrum comitante caterua,
Cùm ruit & pluuijs creber crebérque procellis
Africus; haud facies tot sæua venefica fingit,
Carmina polluto nec tot fera subcinit ore,
Queis niueos Lunæ valeat confundere vultus,
Æternósque oculos Cæli fœdare; Charybdis
Tot Nautis formidandos non pandit hiatus,
In formas quot se vertit speciésque figurásque
Horribiles, vitium nimium reparabile mutat
In damnum mortésque meas; ah dulce venenum
Dulcis amaricies; equidem si carmen in vnum
Pectoris insomnes contendam cogere curas,
Quas fouet ingeniosa malo mens, promptiùs omnes
Quos parit Autumnus fœtus, seu purpureum ver
Quas largitur opes complectar carmine; nusquam
Hæc intempestæ noctis liquidam esse quietem
Permittit, miris taciturna silentia laruis
Infestans, nullas epulas lusúsque iocósque
Sinceros sinit esse, atro linit omnia felle,
Et dubius quocumq; feror, timor instat & vrget;
Tartareas Orci diuulso cardine fauces
Aspicio, terrent vultus fera monstra Barathri,
Pœnarum ante oculos errant mihi mille figuræ,
Mille exempla, suum ruiturum Sisyphus vrget
Pondus, nunc verum Titium sua viscera turbæ

Alituum


Alituum in proprias semper crescentia pœnas
Præbentem aspicio, maiorem Ixiona cerno
Torquentem celeri fugientia membra rotatu;
Tisiphonen video tenebrosæ noctis Alumnam
Cæsariem circum cuius cristata pererrant
Agmina serpentum, nectuntur brachia nodis
Vipereis, manibus gestat vesana colubros,
Queis sese stimulat, rabidas violentior iras
Cùm mouet; in Libyca veluti Leo Pœnus arena
Vndiq; vallatus latè ramalibus hastis
Excussa ceruice fero se verbere caudæ
Vexat & armatos audax irrumpit in hostes;
In me terrificus sequitur furor, ora recludit
Haud fictus Barathri custos, & bellua Lernæ
Centimanusq; Gyges, ac flammis cincta Chimæra,
In me dira fremit, prædam graueolentis Auerni,
Faucibus expectant siccis furialia monstra,
Ante oculos varijs impexum colla cerastis,
Frendentemq; ira, seq; in sua membra plicantem,
Spumantémque Ducem Stygium, sæuasq; cientem
Voces, aspicio; quot se quot vertit in ora?
Ora suis semper tetris imbuta venenis?
Summe Pater surda nostras nisi despicis aure
Contemnísque preces humili quas fundimus ore,
Fulmine deposito propius res aspice nostras;
Crimina deme mihi, puraq; illabere menti,
Diuinumq; meis infer penetralibus ignem;
Nil moror, in proprias victor dominare medullas:
Sic quicquid vitij est, tenues vanescat in auras;
Innocuæ penitus placeat seruare Iuuentæ
Perpetuum desiderium, mea pectora firma
Ingentesq; animos, humilem ne sperne precantem;
Quis modus heu fesso dabitur Rex magne laborum?
Quam metam imponis? famulúsne tenebitur vsq;

In

In vinclis animus? tetróque obnoxius Orco
Legibus infandi capitis parebit inultus?
Non tua progenies? Cœlo non missus ab alto?
Debita cui superûm nullos ruitura per annos
Atria, Cælicolûm seruit cui sacra Propago,
Exhorret Stygij graueolentia regna profundi?
Quis modus ô superũ atq; hominũ Rex? sæua Tyrãni
Humanam in sobolem semper violentia gliscet,
Et victrix latè bacchabitur? efferus hostis
Cernis vt insultet præda, volitétque superbus
Et tibi se anteferat? sibi laudes arroget vnus
Magne tuas? cur tanta potest? non ampliùs illum
Clausa tenent nigri pallentia mœnia Ditis,
Iactat opes victor, victor furit æquore aperto,
Atq; superbifica victricia signa per auras
Extollit dextrâ, spoliisque indutus opimis
Emicat, & famulo fors nectit vincula cælo:
Prò quales rabidis voces vlulatibus edit,
Probráque captiuam miserè stimulantia mentem;
I nunc liber, ait, Regno qui ducis ab alto
Et genus & nomen, fastus extolle, beatos
Iacta animos, Cælique redux nunc arce potire;
Nunc fruere alloquio superùm, nunc solue Tonanti
Vota reus, nunc pone iugum, téque exue vinclis.
Heu quid agam sæuis tot tempestatibus actus?
Horrificos quî tot valeam depellere solus
Assultus, rumpámne audax moriturus in hostes?
En quacunque feror, leti mihi mille pericla,
Mille neces instant, quanam ratione tuebor
Ah nimiùm fragilem vitam? quo principe bellum
Hostibus indicam? tu tu mihi suffice robur
O Pater, ah redeant animo mea gaudia, redde
Redde bonum mihi te, tecum si corruet æther
Intrepidum meritò geminus mirabitur orbis.

Vulne

Vulnera post, clypeum sumo, da vela secundus,
Te præsente faces extinguet sæua Megæra,
Te præsente iras ponet furialis Erynnis;
Da Pater omnipotens hosti me illudere capto,
Qui semper vectare nouas in Tartara prædas,
Prædas prima suo ducentes semina Cœlo,
Nititur, ah totum facilis da vincere Auernum.
Sic tot dimensus Stygij discrimina Ditis,
Fallacesq́; vias, moribundos spiritus artus
Dum reget hic melior, semper mea plectra lyraq́;,
Et regnum nomenq́; tuum, laudésque loquentur.



In Diem festum Assumptionis Deiparæ Virginis.

TErrosea Titan lustrarat lampade terras,
Terq́; soror niueos mõstrarat Cynthia vultus,
Vitali postquam Virgo discesserat aura.
Cùm Pater omnipotens nutu qui temperat vnus
Solis vtramque domum, Ditis cui regia seruit,
Diuinas Mariæ exequias, corpúsque sepulchro
Inclusum non oblitus, iubet ordine ab omni
Delectum acciri Michaëlem; protinus ille
Iussus adest, pendétque sui Genitoris ab ore:
Quem sic affatus summi moderator Olympi est,
Tempus adest nostram quo nos debemus in Aulam
Excipere humani generis Dominámque, Ducémque:
Illius ab nobis varijs exercita curis,
Vulneribúsque probata, satis constantia fulsit,
Digna polo Virgo, digna est cui regia nostra
Pareat; & meritò superûm Regina vocetur;
Humanam potuit si fœmina perdere gentem

Vnica fœmineum reparauit fœmina lapſum;
Hæc eſt illa dies centum qua clara Trophæis
Ingrediatur ouans Regnum multo antè paratum;
Gethſemanes inter colles incluſa ſepulcro eſt
Quæ veſtris vectata humeris potietur Olympo;
I fœlix noſtri Michael pars inclyta Regni,
Innumeróſque pio ſocios adiunge labori,
Hic nobis animus ,noſtra eſt hæc certa voluntas.
Dixerat. ille celer monitis parere Tonantis
Ritè parans,galeam fulgenti ex ære rigentem
Deponit,patiturq; vagos per colla capillos
Luxuriare,graui clypeo,gladioque ſuperba
Arte laborato,candentes ſubtrahit artus;
Quin haſtam,rabido pondus lacrymabile Diti,
Qua coniuratam turbam detruſit ad Orcum,
Abijcit , & læuo lateri ſuſpendit eburnum
Plectrum,quo poſſit Reginæ dicere laudes;
Tum pro lorica chlamydem veſtitus,inermes
Pennigeris humeros velox accommodat alis.
Nec minùs interea Pubes diſtincta noueno
Ordine Cælicôlum,Ducis admirata futurum
Officium,varias ſubitò ſe accingit ad artes;
Hic gerit auratum plectrum,gerit alter amicam
Carminibus lætus citharam,pars altera dulcem
Sollicitare chelym gaudet,pars ære canoras
Læta tubas geſtat,ſolùm mens omnibus vna eſt
Præcipitare moras,nitidóſq; oſtendere faſtus.
Nec requies;rapido Michael volat ocior Euro,
Præ ſociis latè fulgens ceu Phœbus in axe;
Haud aliter ſub vere nouo,dum prata vireſcunt,
Dum viget omnis ager, flores dum terra miniſtrat,
Melliferarum examen apum per dulcia rura
Omnigenas carpit gemmas,ſyluaſq; peragrat;
Agminis it Princeps maculis ſplendentibus ardens,
Et

Et celeres gestit cursu prauertere Coros.
Ventum erat ad Solymam; laua cùm Rector Olympi
Intonuit, signum Mariam liquisse sepulchrum:
Cethsemanesq́ super colles nitidissima visa est
Stella nouam duxisse facem, quando ecce repentè
Ecce tibi antè oculos radiantis solis ad instar
Se confessa Deam luxit castissima Virgo;
Procubuere genu superi, dein ordine longo
Victricem Mariam facta cinxere corona.
Illa velut Phœnix, veterem qui morte senectam
Præteritósq́ annos posuit, nitet vnicus ales,
Exuuijs clarus, mutato clarus & æuo,
Æthera findebat sedes aditura supernas.
Vix iter inceptum est. Michael cùm nobile plectrum
Sollicitans, Mariæ resonantia carmina laudes
Incepit, laudes superùm alternante corona;
Quo cantante, Noti flatus tenuère superbos,
Aër subrisit, ponti siluère procellæ,
Omniparénsq́ nouo fulsit Natura colore;
Tolle caput mortale genus, dignosq́ Triumphos
Finge tibi, tanta sectans vestigia Matris:
Hæc tibi certa Parens, spes est tibi certa salutis;
Impia sydereum si fœmina clausit Olympum,
Hæc tibi syderei referauit limen Olympi:
Illa tulit mortem, certam tulit altera vitam:
Norma Pudicitiæ, Terrarum gloria, salue;
Ipse Deus, Deus ipse, tibi se iungere sacro
Fœdere dignatus, castam te legit Amantem,
Et quam non poterat spatiosi Regia Cæli,
Lucentesq́ globi, longo circumdare tractu,
Tu solam Augustam fouisti pectore prolem,
Virginitas tantùm potuit candórq́ niualis;
Tota tibi tellus, totus tibi plaudat & æther:
Nam multùm Tellus, multùm tibi debet & æther;

Dent montes hilarem, lætam dent flumina vocem,
Omnigenùmq; genus volucrum, mutæq; natantes,
Et quicquid vasto Terrarum clauditur orbe,
Te Dominam agnoscat, Dominam te iure salutet.
Talia dum Michael, Cœlo properanter ab alto
Ecce nouus superùm cœtus, præconia laudum
Qui repetens mágni Michaelis, nobile nomen
Omnia reddebant Mariæ, Mariam, æthra, solumq;
Sydera Victricem Mariam Cœlumq; canebant,
Illa inter cantus superas euasit ad Arces.




Epicedion in obitum Ioannis Baptistæ Cardinalis Castruccij.

QVis gemitus lacrymásue neget? Castruccius Heros
Grande decus Latij, Lucensis gloria gẽtis,
En iacet exigua tumuli complexus ab Vrna,
Quisquis adest pleno suffundat lumina riuo,
Maxima Lux Lucæ fletur, date pabula flammis,
Eois quæ diues Arabs largitur ab oris:
Spargite luciferam, signum ferale, Cupressum,
Anxiferosq; modos querulo depromite cantu;
Sint procul hinc plausus, læti procul este lepores,
Hinc risus, choreæq; procul, sonet vndiq; luctus,
Mœror vbiq; sonet, tristis sonet horror vbiq;;
Occidit, heu! Patria notissima gloria nostra,
Occidit, atq; vnà visa est cecidisse virentem
Spes induta togam, tacita dum mente reuoluit
Luca Parens vitæ seriem, quæ Nestoris annis
Digna fuit, memor amissi, contemnit & odit
Indignata sui solamina certa doloris.
Nam dum prima tuæ meminit primordia vitæ,

Tempore

Tempore, quo caris Pallas te excepit in vlnis:
Perpetuas abit in lacrymas, renouatque querelas;
Tum pudor & probitas teneros diffusa per artus
Fulsit, & ingenium venturi signa decoris
Certa dedit; quin ipsa sagax prudentia paruo
Infanti tibi subrisit, vultumque modestum
Admirata tuum, laudataque lumina Cœlo,
Eximios inter meritum te legit Alumnos.
Inde alacer sacras arsisti discere leges,
Aspernansque iocos, ardentem pectore toto
Virtutem semper velut indefessus amasti,
Iamque licèt iuueni iuuenili tempore, cana
Mente tamē, primùm patuit tibi PERETTINA,
Aula tibi raros mox largitura triumphos;
Hinc tua nota fuit virtus, multisque probata
Ictibus ambiguæ sortis benè cognita fulsit:
Haud aliter quàm cùm rutilum nitet ignibus aurū.
Conspicuum Vaticani vix luxit ab ALTO
MONTE *Iubar, Sixti fausto sub sydere quando*
Ad Cœlum Rosa purpureos Castruccia vultus
Extulit, & subitò claros expandit honores.
Quid memorem quinis quæ bis labentibus annis
Egisti, sacros dum splendentissima crines
Infula velauit? lacrymæ mea carmina vincunt:
Ipse dolor negat effari, nil flumine tanto
Mens dignum reperit, Terrà quos continet orbis
Innumeri latè populi, gentesque loquantur:
Ast alias vrbes inter lacrymare sepultum
Heroem, tu Luca, tuis nec parce capillis;
En obijt subitis tua lux oppressa tenebris.
Quis tibi tutamen posthac? super æthera quis te
Efferet? heu frustrà potes hic vrgere sepulcrum
Perpetuis lacrymis, Cœlumque onerare querelis.
Nam Rosa quæ cecidit Ver abstulit omnibus vna.



In aduentum Franciſci Sfortiæ Cardinalis, Lucam.

QVi plauſus voceſq́; ſonant, cantuſq́; per vrbem?
Lucenſis quò ſpontè ruit generoſa Iuuentus,
Sepoſitas induta togas, induta ſuperbà
Arte laboratas chlamydes? hinnitus equorum;
Clangenteſq́; tubæ, tormentorúmq́; boatus
Armorúmq́; grauis ſonitus nitidæq́; quadrigæ,
Quò ſpectant? num forſan amor me ludit? an Hoſpes
Sfortia adeſt Lucæ? falſo non ludor amore:
Nam Franciſcus adeſt, Romanæ gloria Gentis;
Sumite Lucenſes fœlicia plectra Poëtæ;
Muſarumq́; ſacro venienti plaudite Alumno:
Namquè is ſiue velit per campos ire patentes
Eloquij, magni æquiparat veſtigia Tulli,
Seu velit Aonios fœlix haurire liquores;
Et vinctis canere arma modis: velut alter Homerus
Virgiliuſq́; tonat: citharam ſi ſumpſerit auream,
Illum facundam citharam ſumpſiſſe decebit,
Non Thetidis proli cedit ſi torſerit haſtam,
Fulmen erit belli validum ſi ſtrinxerit enſem;
Conſilio quantum valeas, rebuſq́; gerendis,
O Patriæ ſpes vna tuæ, generoſaq́; Proles,
Martia Roma canit, quæ te viuente Camillos
Et veteres Fabios inſurrexiſſe fatetur,
Neſtora quin vincis, ſummi dum iuſſa capeſſens
Pontificis, Regumq́; animos & pectora tractas;
Quæ regio tellúſve Italis procul eminet oris
Quæ tua non norit fatalis robora dextræ?
Vix etenim nonum compleras impiger annum,

Cùm

Cùm calamos torquere leues, arcúque sonanti
Imbelles onerare humeros, & promere dira
Spicula, præsentes iam tum testantia vires,
Suasit amor; creuêre animi crescentibus annis,
Paulatimq́; graui galea, gladióq́; decoro
Loricaq́; ausus tenerum circumdare corpus,
Bellatoris equi spumantia colla premebas,
Magnanimos imitatus Auos, imitatus auorum
Fortia facta, tuo patrium quî robore posses
Conseruare decus, magnósq́; augere Triumphos,
Quærebas, alto præstans te sanguine dignum.
Prò quoties cernens Patruus te ludere in Aula,
Non buxo, placidáue aura gaudente flabello,
Sed fictis certantem armis, & cursibus acrem,
Conantem celeres longè prauertere ventos,
Quadrupedémq́; videns arcto compescere fræno,
Plurima iure sibi præsentia gaudia finxit,
Ingeniumq́; nouum primis laudauit ab annis;
Hinc generosus Amor nitet, hinc constantia in imo
Pectore fixa tuo sequitur te semper euntem,
Tollentemq́; animos & maxima quæq́; mouentem.
Cædibus in mediis quantum tua dextera possit
Belgica terra probat, propriis experta ruinis;
Nam tu, seu sit opus lunato incedere cornu,
Seu paribus latum decurrere frontibus agmen,
Seu certam vitare necem, vel tempore capto
Præcipitare moras propiusq́; lacessere Martem,
Ars tibi non desit dubijq́; peritia belli.
Nunc meritò tibi Luca inhiat, te spectat, & vni
Grata tibi plaudens, hæc læta voce profatur;
Lux Luca Francisce, mihi clarissima, salue,
Sospite quo credam Romanam viuere gentem,
Antiquumq́; decus generis florere Latini,
Tu Iuuenis progressus Auos, noua sæcula priscis

Informare paras, talem te cernere semper
Fronte cupit tua Luca; cupit sic tempora nasci;
Nam tu Ciuis ades Ciues clarissimus inter
Nos hospes, nostros igitur dignare Penates.
Aspicis vt faueant Vrbis tibi lumina Patres?
Certatimq; tuas tollant super æthera laudes?
Hos similesq; canit, Princeps fortissime, honores
Luca tibi, proceresq; omnes, prudensq; senatus,
Et mea Musa humiles inter numeranda Camœnas.



In restaurationem studiorum ad Lucensem iuuentutem, Carmen.

HActenus æstiuis vallata Canicula flammis,
Diraq; vesani fremuerunt terga Leonis,
Hinc posita placidum rabie mansuescere Cœlum
Incipit, & veteres ostentat Pallas honores,
Pallas honor superùm, studiorum gloria Pallas.
Antiquos renouate animos sensúsq; calentes
O Musis dilecta cohors, labor omnia vincit;
Inuia nulla via est conanti ascendere collem
Arduum, & abruptum collem, sed amantibus æquũ.
Candida si geminum subduxit Cynthia cornu,
Bisq; resurrexit nitido spectanda capillo,
Cecropiæ postquam, Iuuenes, dulcissima diuæ
Otia liquistis, tamen est id temporis aptum
Musarum studijs, placuerunt otia ruris.
Rura fatiscentes reparant in corpore vires,
Languentesq; animant sensus, hic rure paterno
Igniuoma passim prostrauit glande volucres,
Et pauidos lepores, pronosq; in cornua ceruos;
Ille canum longo circundatus agmine, celsa
Culmina

Culmina syluarum portentosasq́; latebras
Callidus explorans, multo clamore fugaces,
Damásque, agrestésque sues in retia trusit.
Ast alius quem cura domus & dulcis agrorum
Sollicitauit amor, robusti quæque coloni
Ipse ministeria, & fundum scrutatus vbique est;
Num cultum patiatur humus, num vinea doctam
Luxuriosa comis falcem sibi poscat, vbi altæ
Ducantur fossæ, vitis seu multa maritet
Frondosas vlmos, seu vites erigat vlmus.
Nunc alios tempus rerum sibi postulat vsus,
Et varias artes; veteres sarcire ruinas
Mens agitet; nunc ô totis contendite neruis
Segnitiémq; procul, procul hinc expellite, & Hostis
Sit torpor, lentóque nocens molimine Morpheus;
Nobile propositum dignum quod prosperet vltrò
Ipse Deus, reddátque animos, & cœpta secundet;
Si priscum languet robur, si feruidus ardor
Ingenij vireśq; iacent, contundite pestem,
Crescentem pestem vestro detrudite regno;
Ah pudeat segni, pudeat torpere veterno
Desidiáq; diu, quâ sitis origine nati
Este, precor, memores, non hoc sibi postulat altus
Sanguis Auum, priscæq; domus clarissima vestræ
Stemmata, nec tales vobis exposcit honores
Patria Musarum studijs Martisq; superba;
Obrepit tacito morbis confecta situq;
Cana senecta pede, & curas nihil alleuat ægras
Pœnituisse, rapax postquam pernicibus alis,
Et patiens operum iuuenilis labitur ætas;
Robora nunc cœptis respondent, cœpta secundis
Viribus, & minimis mens est obnoxia curis.
Per liquidum mitis Pelagi cursusq; vocantes
Nunc flectenda via est velis, nunc ostia dextra

Sunt ſubeunda noto, vobis dum militat æther,
Atque ſerenati ridet pellacia ponti;
Hac iter arreptum eſt vobis, pars maxima quorum
Læta petit doctas Alphæa ab origine Piſas.
Excipit aſt alium longè pulcherrima viſu
F E L G I N A *Palladijs opibus luxuq́; triumphans.*
Immemor ah nũc te tacitam quò Roma relinquam,
Noſtrum delicium, ſtudiorum prodiga Mater?
Vrbs celebranda mihi, faueat modò dexter Apollo,
Intempeſtiuam Clotho nec nuntiet horam.
Hoc Patriæ vos ferte decus, vos ferte labores,
Hoc decus illa cupit, tales cupit illa labores;
O fortunati quos Pallas ad æthera tollit,
Tollit & oſtentat, ſublimi è vertice numquam
Quæ rapiat ſeu liuor edax, ſeu longa vetuſtas,
Præmia, vos animos reuocate, & vincite quæque
Ardua, nuſquam abero; nam vos duxiſſe monendo,
Monſtrandóque viam facili ratione tenendam,
Aonas ad montes conabor, & impiger altis
Ipſe meis humeris duro vos faſce leuabo.



Ad Amicum ſenilem ætatem laudantem.

CÆſareis mentum abraſis, doctiſſime rèrum,
Fortè fidem ſignis ſi præſtas, barba Catones
Non Fabios Anitiue reos facit, hellebori quos
Nulla medela iuuaret, ſi fœlix caput illud
Cuius canities pectus diuerberat: ô ter
Et quater ô Theſeu fortunatiſſime docto
Tonſori malas numquam committere, Apollo,
Pace tua, nihil arcani, dulcis, nihil artis

Nil

Nil cerebri tibi fibra sapit, dictata puellus
Nullus erit tua qui excipiat: ridebere, quidni?
E mento non nix pendet, tibi praestat in horam
Vrbe Ligur mendicata qui pascitur esca,
Scripta sui Vatis canum redolere capillum
Est opus; en scombros metuis benè culte Tibulle:
Te quoque Longoli, te maxime Pice silebo,
Ingenij cui non aetas, dedit vnicus actus,
Vt iuuenis, rari nomen Phaenicis adeptus.
Ast olei atque operae facta est iactura, superba
Nam barbatorum solùm sunt digna cupresso:
Quis cedrum speret nisi longum accesserit aeuum?
Roscius hanc legem non promulgaret, acerbi
Non assensa foret Fabij mens cornea; rugis
In vultu non Pallas inest; nec barba latentes
Ingenij praemonstrat opes, vix Publius ille,
Ille suas cui submisit vasta Africa terras,
Quartum compleret lustrum Poeno arma mouente,
Vndique & extremo populo impendente Quiritum
Exitio, fidens animis validaque iuuenta
Non capitis niuibus bellum suscepit & idem
Confecit victor, talem te Magne relinquos
Aetas cur igitur noceat iam quina gerenti
Lustra? mihi sit barba Iouis, quid deinde? nuces en
Iampridem liqui, per campos isse patentes
Eloquij iuuit, Graecorum iuuit amoenos
Me fontes hausisse, ego qua ratione genus quit
Et genus & species dici, intereuntibus & quî
Exurgant alia rebus, nascantur & vnde
Fulgura, telluris motus, tristésque comoeta,
Latior an tellus Neptuni an latior alueus,
Assiduus didici; ingenium dextrúmve sinistrũve
Aspires mihi non notum, labor omnia vincet.
Haec mea mens, tu purgatam cui maximus vsus

Reddidit

Reddidit auriculam rerum studiumq; perenne,
Ne rigido nostram vultu contemne Camœnam.



Laurea.

EN *tandem nitet illa dies, Parnassia pubes,*
Illa dies nostris longè gratissima votis,
Pulchrior en lucet magnum visura Triumphum;
Sumite Dædaleas socij, iam sumite pennas:
Nam nostro texenda nouo noua laurea Regi;
Quæ mora? Parnassi celeres petite ardua montis
Culmina, purpureis circum lucentia gemmis.
His non sæua nocet rabidi violentia Cauri,
Non nocet assiduis pluuijs metuendus Orion,
Et nocuo nusquam grando diuerberat ictu,
Sed florent Zephyri latè spirantibus auris,
Aligeros illuc vestros intendite cursus:
Nam nostro texenda nouo noua laurea Regi;
Daphnidos hîc arbos Vatum spes vnica crine
Æterno spectanda viret, quam maxima Pallas
Sæpe suis manibus largo rigat imbre, Deaq;
Castalides illa cingunt sua tempora fronde,
Illius ô socij beneolentes carpite ramos:
Nam nostro texenda nouo noua laurea Regi.
Nunc montes lustrate, vagi, lustrate recessus,
Quærite secretos colles, lucosq; virentes;
Quærite prata comis semper viridantia pictis,
Nil pedibus, duro nil indulgente labori,
Si dicendus Amor labor est, dux imperat ipse,
N ectite primæuos fœlici è semine flores;
Narcissum viridi primum coniungite lauro,
Lauro narcissus, narcisso laurus honori est,

Fœlix

Fœlix Narcissus nisi se nouisset in vndis,
Et se fœlicem, fortunatumq; putasset:
Sed nimiùm sibi plausit amans, & credidit vndæ.
Purpureus flos est, lauro connectite florem:
Nam nostro texenda nouo noua laurea Regi.
Ite per Aonios hortos, pulchroq; Amarantho,
Qui lauro est non paruus honos, ornate coronam.
Non illum longæua dies, non cana vetustas,
Non pluuiæ carpunt, nec turgida flamina Cauri,
Horriferas spernens hyemes ad sydera tollit
Immortale caput; solus diuinus habetur,
Hunc legite, & Phœbi viridanti annectite ramo:
Nam nostro texenda nouo noua laurea Regi.
Præcipitate moras, Hyacinthum quærite, casus
Qui memor antiqui nigra ferrugine vultus
Tingit, & ad Cœlum vix audet tollere frontem,
Feruidus huic nocuit iuuenili in pectore sensus,
Ingeniumq; sagax, audaci robore fidens,
Latonæ voluit forti cum Pignore, disco
Exercere suas vires, validamq; iuuentam,
Perdidit ast illum confidentissima virtus:
Hunc quoq; Phœbigeno florem subnectite ramo:
Nam nostro texenda nouo noua laurea Regi.
Has inter prati gemmas numeretur Amoris
Plena Rosa, hæc sacris longè est gratissima Musis,
Hæc multis medicina malis, hæc seruat odorem,
Dum perit extemplo boreali saucia nimbo:
Erubuit namq; alba priùs, dum perfida nouit
Se Dominæ pupugisse pedem, crimenq; pudore
Soluit, vt æternùm scelus exitiale pateret.
Hoc igitur Pæsti sydus connectite sertis:
Nam nostro texenda nouo noua laurea Regi.
Halantem casiam, formosaq; lilia texto
Puniceósq; crocos, violasq; adiungite, quotq;

Vere

Vere parit, flores tellus, tot nectite lauro;
Parcite, nam nostro texta est noua laurea Regi.



Altera Ranarum & Murium pugna, quæ à primo Homeri die confecta est, dum Cancri Ramis, Glires Muribus opem tulerunt.

VIx super Oceanum niueis inuecta quadrigis,
Aurea iam scintillabat Tithonia Coniux,
Atq; Oratores Ranarum ex parte sequestre
Poscentes aderant tempus, quo corpora terra
Vsta darent; & erant non vt de more, reuincti
Tempora Palladia vitta, sed cespite beta.
Talibus excepit dictis Troxarta precantes:
Corporibus vita absumptis hac orta cremandis
Clara dies dabitur, quis insania funera contra
Sæuiat? aut tandem velit intumulata iacere?
Ast vbi purpureo lux crastina fulserit ortu
Arma parate, armis lis est dirimenda, quiescam
Nusquam etenim, donec placabo sanguine vestro
Insontes Nati manes, animoq; petenti
Summas exequias, hac iusta piacula soluam;
Nunc ite & miseros socios mandate sepulcro.
Sic vnam pepigere diem; sua funera Mures,
Innumeris structis annoso è robore tadis,
Comburunt, tremulis collucent ignibus agri,
Mœstus vbiq; sonat luctus, matrúmq; querela;
Lichomile ante alias luget Psicharpaga Natum;
Quem fallax medis Phisignattus merserat vndis;
Tu quoq; Lichenor non indefletus abisti,

Gloria

Gloria rara domus, & spes extrema parentum.
Nec minùs interea sociorum in funera tristes
Rana Cancrorumq; ferum genus ire per agros,
Lignariq; piget circum, mens omnibus vna est,
Ingentes fabricare piras, casosq; cremare;
Pars graciles stipulas, pars arida gramina verrunt,
Feruet opus, castrisque inuectant vndiq; ligna,
Queis super imponunt crasso madefacta cruore
Corpora, fit gemitus, Mater Poliphona peremptum
Ægra gemens, totam replet clamoribus Æthram,
Incusatque dolos Phisignatti, Barbarocœtes
Crambrofagusq; iacent vesanis pabula flammis.
Talibus officijs septem consumpserat horas
Agmen vtrunq; & iam medio fulgebat in axe
Phœbus, cùm reputans transacta prælia lucis,
Concilium Trexarta vocat, venêre vocati
Magnanimi Proceres, dextra Regis Meridarpa,
Ranarum terror, læua armipotentis Alumnus
Martis adest valida Taxis metuendus in hasta;
Hic prior. Extremo varij discrimine belli
Doctus ab antiqua cogor discedere mente,
Et pacem laudare; animos sors improba ademit;
Ille ego qui fueram pugnæ Dux, forte Magistra
Sum pacis maior, docet experientia pacem;
Multipedes Canceri, gens insuperabilis, vnà
In nos iurarunt, coniuratiq; lacessent
Arma; nec absistent nostrum genus omne priusquam
Per coaceruatam pereat cladémq; necémque;
Vndiq; iam nostro pinguescunt sanguine campi,
Funera vbiq; iacent desolatæq; cohortes:
Vna salus pax esse potest, pax vna medela;
Sic ille; at Meridarpa sui vix compos ob iram
Obliquos torquens oculos, sic intonat ore;
O caput insulsum, ô rerum timidissime, pacem

Nunc

Nunc audes suadere, Hostes dum tela coruscant
In nostrum iugulum, formidandamq; ruinam?
Mars varijs semper gaudet successibus, esto
Ius Marte est potius, nobis ius militat, in nos
Et Mures, Cancriq; ruant, nil demoror arma,
Ille ego qui vibrans hastam modò rauca fugaui
Agmina Ranarum, Psycharpaga inultus abibo?
Imbellisq; domum repetam? me fulmine ad umbras
Tartareas priùs impellat dominator Olympi,
Quàm nostro illatum vellatur pectore probrum;
Nil est quod dubites ô Rex Troxarta timores
Vaniloquos Taxis, qui pugnæ in limine primo
Deficit, ignauusq; Hostem formidat inertem;
Perniciem in nostram mouerunt prælia Cancri,
Pro nobis Mustellarum genus omne mouebit,
Arma libensq; suas vires consumet in illos.
Est etiam socius regali stirpe creatus
Magnus Onirodes, Glirum qui millia ducit
Corpora, quæ nusquam timuere pericula Martis,
Is potis innumerum Cancrorum frangere robur;
Vna salus bellum esse potest; bellum vna medela;
Interea dubio titubat dum Curia motu,
Fertur Onirodæ legatum, poscere Regem
Troxartan: olli subitò data copia fandi;
Dux legatorum Fradnus sic farier, infit;
Venimus ô proceres vobis non bella ferentes,
Sed belli auxilium, nostras peruenit ad aures
Fama nouæ pugnæ, quam mouit garrula turba
Ranarum, semper socijs confisa propinquis.
Hæc nostri generis Princeps meditatus ad arma,
Bis quingenta virum fortissima corpora legit,
Quæ vos in Ranas agitantes bella sequentur,
Ipse aderit, proprijsq; opibus, dextraq; iuuabit.
Vix ea. cùm Mures manibus plaudentibus arma,

Arma

Arma fremunt, aptantq; haſtas, ſedeſq; relinquunt,
Deſerit ipſe prior ſolium Troxarta ſuperbum,
Innumeras referens grates, reboante Theatro,
Et Fradno, & ſocijs: bellumq; indicit ab ortu
Poſtera vbi aduenìens Aurora fugauerit aſtra:
Quod ſupereſt lucis vària conſumitur arte:
Pars fabricant thoracas, amant pars altera durum
Ad ſilicem ingentes haſtas benè tergere, cunctos
Martius ardor agit, ſocios Meridarpa futurum
Excitat ad bellum, & languentem dictitat Hoſtem.
Omnes mellifluis curant ſua corpora menſis,
Corpora tranſacto nimiùm defeſſa labore,
Iamq; rubeſcentem frænis ſpumantibus ortum
Fecerat exoriens Titan, cùm Iuppiter alto
Deſpectans acies dictis compellat amicis
Pallada, Phœbumq; & validum in certamine Martē,
Vt video, ò noſtri proceres, noua bella parantur.
Quid Cancros iuuit nos immiſiſſe leuamen
Extremum Ranis? Glirum fortiſſima proles
Muribus auxilium prabet, pugnamq; laceſſit,
Si placet euentum belli ſpectemus; & ipſe
Mus vel Rana fuat, nullo diſcrimine habebo;
Conſedere omnes viſuri prælia Diui,
Nec mora collatis venerunt fulgida ſignis
Caſtra, ſuum vnuſquiſq; locum, parteſq; capeſſit;
Tum læua intonuit Pater Aligerumq;, hominumq;,
Principium belli; primus Lychenor acuto
Tranſadigit ferro coſtas, atq; ilia fortis
Hypſiuoi, ille cadens animam vomit ore ſuperbam.
Craucaſides clari ſortem indignatus amici
Victoris validam fixit ſub corde ſagittam;
Extulit atque imo tales è pectore voces:
I nunc & palma victor lætare peremptus,
Hypſiuous triſti donat te vulnere, vox eſt

Lethiferum teſtata ictum, tum puluere cæco
Miſcetur campus, nec non furibundus vbiq;
Mars errat, ſtimulatq; animos & ſuſcitat iras.
Narchis in aduerſas acies exultat aduſto
Stipite, nil hoſtem curans, velut altera Amazon;
Braſſeum hac primum nodoſo robore truncat,
Vſque viam indignata ſibi parat, impigra Echinum
Pinnoteremq; ſuper cadit, prior vnguibus acer,
Alter in obſtantem dum cornibus arietat hoſtem;
Exanimes tamen ambo cadunt terramq; cruentant;
Quot validos valida Narchis claua extulit ictus,
Tot cecidere hoſtes, nullis terretur ab armis,
Funera funeribus, cædes & cædibus augens.
Fraudibus hăc potior Pagrus, vaga lumina vaſtum
Per campum vidit torquens, tot ſtragis aceruos
Aſpexit latè dantem, tunc tempore capto
Indeuitato traiecit Narchida fortem
Telo ex inſidiis; cecidit moribunda nocentem
Ægra ferens lucem; ſubita vi Pagrus iniquus
Reginam exanimem obtruncat, ſpoliiſq; cupitis
Indutus validum Ranarum territat agmen;
Magnus Onirodes cladis quaſi conſcius inter
Hoſtiles acies Vxorem quæritat, vltrò
Noxia tela petens validis vibrata lacertis.
Ecce autem ſubitò Pagrum ſpolia ampla ferentem,
Iactantemq; animos, arrectáq; colla gerentem,
Vidit, & ingemuit, qualis furiata Leæna
Quæ venatorem cadentem rupe ſub alta
Repperit, imbelles catulos, exporrigit vngues,
Excutienſq; iubas, vindicta in imagine tota eſt;
Perfurit haud aliter viſo Rex maximus hoſte,
Extemploq; illum congreſſus ſtipite querno
Ceruicem iuxta mediam diuerberat, ictus
Ille cadit, largo tellurem ſanguine turpans.

Deserit exhalantem animam truculentior Euris.
Seuthaumque trucem fatali robore mactat:
Huic addit Charabum populari stirpe creatum,
Viribus insignem Charabum & iuuenilibus annis;
Lymnocharis magno Lichenora vulnere cadit.
Qui rigidum torquens ferrum moribūdus iniquam
Lymnocharem viridi fixit sub pectore, vterq;
Pulsauere solum, atq; animas simul efflauere.
Tunc exaudiri gemitus lacrymaq; cadentum;
Crudescunt magis atq; magis certamina Martis;
Prassophagus Rex Ranarum toto aquore cernens
Palantes socios Troxartam agitare, cadentis
Fulminis in morem, subitò leuis aduolat, hastamq;
Arboream quassans, venientem fertur in Hostem;
Haud aliter, si magna licet componere paruis,
Palladis in magno subeunt fera bella Taburno,
Indomiti Tauri, dum stat pro, pugna, corona,
Quis pecori imperitet, Dominū quē armenta salutēt;
Concurrere ambo Reges, non viribus aquis;
Nam Troxarta prior ferro transfixit inermem
Prassophagi iugulum, spoliisq; elatus opimis
Per campum ostentat victo de Rege Trophaum:
Nescia Lycomile casus cadisq; Mariti,
Gaudet in hostiles irrumpere dura Phalangas:
Ogygij qualis referens Trieterica Bacchi
Manas Echionio sauit malè concita motu,
Artophagumq; satum regali stirpe furentem
Aggreditur, strictoq; aperit penetralia ferro.
Ambiguis volitabat adhuc Victoria pennis
Castra per armatásque acies cùm multa suorum
Corpora cadentem Maium qui legibus aquis
Octipedem turbam franabat, vidit ab alto
Magnanimus Meridarpa, suiq; accensus acerbam
Ob Generis sortem, iam iam refluentibus vndis

Oceani

Oceani, spectans orientia signa propinqua
Noctis, sic illam contenta voce precatur;
O Dea curarum domitrix cui velleris atri
Agna cadit, parétq; Acheron, saeuaq; sorores,
Aspice, vt insultet grauidus iam sanguine nostro
Maius, & ingentes vires ad sydera tollat:
Quò tibi cura tui discessit sanguinis? Ecquis
Venerit auxilio, Mater si pignora linquit?
Da veneranda Parens nostris hoc dedecus armis
Deleri, tu subde animos, tu dirige ferrum:
Sic ait, & totis connixus viribus hastam
Conijcit, illa volans Victoris pectus inerme
Transadigens Maij calidum bibit acta cruorem,
Olli dura quies languentia lumina claudit,
Tartareásq; animus fugit indignatus ad vmbras:
Tum Cancrorum agmen, desertarúmq; caterua
Ranarum Rege amisso Martem increpat vltrò,
(Continuóq; fugam capiant, clypeósq; relinquant,
Ni roseus victis properans succurrere Titan
Quadrupedes fessos in gurgite tingat Ibero)
Absistunt bello, seq; in sua castra reducunt.

Finis libri Primi.



GVIDONIS VANNINII I. C. CARMINVM Liber secundus.

ODE I.


In translationem Vnius ex S. Vrsulæ socijs Virginibus ad sanctissimæ Trinitatis societatem.

INusitatis concita gaudijs
Quid Luca feruet? quid populus noua
Ad Trinitatis templa crebrum
Vrget iter properante gressu?
Quid belluatis strata superbiunt,
Gazis & ostrum cernitur vndique,
Latáque pulsata resultant,
Voce domus, feriúntque Cœlum
Plausus fauentum? candidus Infula
Summus sacerdos, quos celebrat sacros
Latè Triumphos? cur via tot
Flammiuomis facibus nitescunt?
Ecqua togatis clarus honoribus
Patrum senatus gaudia concipit?
Quò stante victores Camilli
Et Fabij rediere prisci?

Salue

Salue beatis addita sedibus,
Virgo cohortis Principis Vrsulæ,
Cui sanguis æternos honores
Magnanimo peperit Triumpho.
Nil æstuantis te rabies quatit
Rheni, malignæ tædia nil viæ;
Te barbarorum nil furentum;
Sanguinis innocui libido.
Vesanientis non secus Hadriæ
Immota moles in pelago riget,
In quam procellosus frequentat
Bella Noto auxiliante Corus;
Ast illa vinci nescia desidem
Obstantis hostis videt inertiam,
Illoq; deluso cacumen
Nubibus inseruisse gaudet.
Dilecta summo Cælicolûm Patri
Cohors, leuamen pauperibus dedit:
Cui nomen æternè verendum
Et monados Triadosq; Numen.
Agnosce festam quam celebras diem
Luca, cateruis concomitantibus,
Feliciori hæc est lapillo
Vna tibi meritò notanda.
Semper vagantis Pauperis hospita,
Domus patescis Virginis hospita,
Nunc essa seruas, mox supernum
Ossa tibi hospitium datura.

In



In Christi Natalem diem Nænia.

ODE II.

IAm nox sidereis onusta flammis,
Languebat nitido fugata mundo,
Et somnus placidis ligarat omnes
Alis Terrigenas, tamen tenellus
Vnus mellifluus puer Deusq;
Humano generi subit labores.
Is in gramineo iacens cubili,
Vstus purpureum latus subactis
Aristis, Boreæ procacis vstus
Diris flaminibus, suos ocellos
Et pulcras genulas rigabat vsque
Vsq; lacrymulis, premebat vnà
Astantis tenerum suæ Parentis
Et pectus tenerum sui Parentis;
Hùc se contulerat sacro suorum
Stipatus Comitum choro frequenti
Insignis Gabriel, nitentiores
Qui plectri modulos sui remittens,
Argutæ citharæ fides canoras
Pulsabat, pueri Dei querelis
Idem sollicitus, suo iocosam
Pendentem lateri lyram disertus
Accepi, queruli diu cupito
Qua vincire queat sopore Nati
Multis lacrymulis graues ocellos:
Nec procul stabulo Dei iacentis

Ad

Ad terram posito hac genu locutus,
Dulci cum cithara canente voce;
Somno turbidulos tuos ocellos
Claude belle puer, puer quiesce.
Ignes fulgiduli nitentis axis
Scintillant tacita quiete Cœlo:
Infesti subitis Noti procellis
In antris capiunt suis soporem;
En omnis volucris perosa cantum,
Diurnos releuat silens labores,
Omnis lacteolus, tenellus omnis
Infans blandiloquæ suæ Parentis
Fotus in tenero sinu quiescit;
Amplexus igitur Parentis inter
Somno turbidulos tuos ocellos,
Claude belle puer, puer quiesce.
Tu decus superi Patris perenne
Chori Cœlicolùm puer voluptas,
Humani generis salus futura,
Belli fulminibus quies futûra,
Pacis perpetuò ratæ benignus
Obses cur lacrymis reples cubile?
Somno turbidulos tuos ocellos
Claude belle puer, puer quiesce.
Suxisti roseis tuis labellis
Plenas Virgineo liquore mammas:
Coerce tepidum, precor, coerce
Fletum, quo propriam coquis Parentem;
Si doles miserè, Parens dolebit;
Si dormis, vigiles remittet illa
Curas, & placidam trahet quietem.
Matri parce tuæ, tibique parce.
Somno turbidulos tuos ocellos
Claude belle puer, puer quiesce.

Pulchrior

Pulchrior viola puer nitenti,
Albis candidior puer ligustris,
Sertis Pupe rubens magis rosarum,
Plumis molliculus magis columba:
Osolatiolum Dei Parentis,
Osolatiolum senis Parentis.
Fallor an domuit sopor iacentem?
Haud fallor, Cithara silebit ergo
Sonus, namque tener Puer quieuit.




In diem festum Deiparæ Virginis Lucensibus solemnem.

HYMNVS III.

COmas reuincti floribus
Canant puelli Virginem;
Sertis nitentes maximam
Matrem canant Puellulæ;
Opus relinquat rusticus,
Ancilla pensum deserat,
Fori quiescant iurgia,
Fulsit dies faustissima;
Ciues opima confluant
Templo ferentes munera:
Mens omnibus sit integra
Quæ cuncta vincit munera.
Virgo furentem militem,
Et eius ausum, prouida,
Fracto repentè brachio,
Salubriter compescuit;
Illíque fasso perfidum
Scelus, salutem præbuit:
Vindex fuit, iustissima
Fuit medela noxio.

Hûc plurimi indigentium
Se conferant mortalium
Cœtus, quies est unica
Virgo piè precantibus;
Burgensis olim peruigil
Portæ fuit custodia:
Totam sua præsentia
Nunc ciuitatem protegit;
Hæc imminentes longiùs
Repellit hostes finibus:
Hæc una verè libera
Nos reddet vsque liberos.
Ergo reuincti floribus
Comas, puelli, Virginem,
Sertis nitentes, Maximam
Matrem canant Puellulæ.



In Sacram Deiparæ Virginis Imaginem, S. Lucæ manu Pictam:

Quæ in Monte Guardiæ, Bononiæ adiacente, asseruatur.

IV.

DIuina mentem vis agitat meam,
Calórque pectus vix superabilis,
Tu diua vatis derelicta
Frena tui melior coërce.
Tristes recedant & timor, & metus;
Adest canenti, cuius imagine
Tantùm superbit grata summo
FELSINA *Cælicolum Parenti;*

Imago

Imago signis clarior in diem,
Agmen piorum quæ videt; & stupet,
Illam cateruatim reuisens
Perpetuò miseros tuentem.
Hîc vota soluens Æsaros incola
Arníque, reddunt grandia munera;
Hûc vltimi tendunt Geloni,
Tendit Iber, Rhodaníque potor.
Insanientem Nauita qui Notum,
Tumultuosi passus & Africi
Aufugit vergentem ruinam,
Hîc statuit memorem tabellam.
Dum dextra Virgo est Numen amabile,
Securus Indos sedulus appete
Mercator, optato fruêris,
Et patriam remeabis vrbem:
Onusta donis vndiq; barbaris
Tu testis Ædes, testis & Indicâ
Gemmâ coronatum lacunar,
Et paries redimitus auro:
Non hanc superbi Protogenis manus,
Cóive Apellis, pinxit imaginem.
Cedant profanati colores,
Diua sacrum Artificem poposcit;
Tu Luca tantæ Virginis impiger
Custos, latentis cui penetralia
Mentis reclusit, non silendam
Effigiem meritus reponis:
Agnosce munus, Felsina, syderum
Quo te beauit Rector & Arbiter,
Diuæq; supplex destinatas
Perpetuum meditare laudes.



In expiationem Peccatorum, Precatio ad Deum.

V.

O Christe Rector Cælitum,
Idem salus mortalium,
Quibus salutem vt redderes,
Crucis subisti dedecus:
Tum vita morti cedere
Visa est, sed ipsa corruit:
Nam morte mortem vincere
Potens fuisti brachio:
Huc verte Christe lumina,
Benignus & me respice,
Me conscium tot criminum
Quot pontus vndas euomit:
Talis ab vsque ad verticem
Hinc inde mille fortiter
Patent adacta vulnera,
Manum tuam poscentia;
Heu tres fuerunt, spicula
Hostes gerentes plurima,
Mundus, Venus, teterrimus
Ditis Tyrannus tertius.
Heu tot subactus fortibus,
Tibiq; dulci transfuga
Factus parenti, quod scelus
Reliqui inausum perfidus?
Iniquitates ebibi,
Nouas in iras prouocans,
Te rebus, & verbis malis,
Et cogitationibus;

Tandem

Tandem tuo perterritus
Furore, multa & gratia
Afflatus, ad te filius
Patrem reuertor vnicum;
Peccasse tadet, pœnitet,
Tibi patent pracordia,
Fletus fluens extrinsecus
Cordis dolorem comprobat.
Ni me tua clementia
Complecteris, quò transferar
Heu derelictus? ah tua
Opus, tua sum dextera:
Olim pius si plurimis
Contaminata sordibus,
Addicta & Orco, maximam
Opem tulisti Magdala;
Olim sepulcro fœtidum
Si suscitasti Lazarum,
Tuo medere sanguine
Plagis meis hiantibus;
Tu plus potes dimittere,
Quàm perfidus committere
Quicumque possit, suscipe
Ergo nocentis lacrymas:
Centena monstra Tartari,
Armata ferro & noxijs
Flammis, quietem perdito
Noctu diuque denegant:
Quocumque verto lumina,
Hac spectra cerno, nobilem
Ah Christe me tuam hostibus
Tuis rapinam surripe.
Exurge tandem dextera
Victor, tuóque robore

Suos rebelles luridi
Turbam barathri contere.
Hostes superbi sic tui
Meiq; victi concidant;
Pulsis quibus debebitur
Vni tibi Victoria.



In diem festum S.Paulini Episcopi Lucensis

Hymnus V I.

OPtata fulsit annua
Dies supremi Antistitis,
Primus sacro qui nectare
Pauit gregem Lucensium:
Lucensis olim Ciuitas
Heu lucis expers,plurimas
Deæ triformi victimas
Sacrabat & Tyrinthio,
Idola,vero numine
Paulinus actus,diruit,
Et imbuit Lucensia
Splendore Cæli pectora,
Christiq; largo sanguine,
Nullo pauore territus,
Fidem probauit:est dies
Hæc digna summis gaudijs.
Paulinus arx fortissima,
Defensor idem finium,
Idem tuetur mœnia,
Et detegit fallacias;

Agnosce

Agnoſce Luca, munera
Ariſq; thura congere,
Seruabis hoc te liberam
Tanto Patrono Vindice.




Precatio ad Deum Pro aëris ſerenitate.

VII.

O *Summe Rector Cælitum,*
Qui cuncta nutu concutis,
Idémque clementiſſime
Nobis pater mortalibus,
Abſige tandem noxios
In nos tuæ iuſtiſſimæ
Iræ modum; nos pœnitet,
Nos tædet vltro criminum;
Audi preces orantium,
Fuſas ab imo pectore:
Preces furentis aëris
Serenitatem poſtulant;
Obduxit atris nubibus,
Mentis tuæ Sol conſcius,
Totum, comas optabiles,
Orbem replentes gaudijs;
At ſole victo turbidas
Quas non procellas imbrium,
Fundit notus per nubilum
Victor ſuperbus aëra?
Si nocte largi ſæuiunt
Imbres, dies eſt ſæuior;
Nulla eſt quies furentibus,
Effrenis eſt licentia;

En arua nostra respice
Sunt arua iam Neptunia,
Et rusticorum nullibi
Latos labores cernimus;
Vbi colonus pinguia
Iacturus est heu semina,
Mutum genus depascitur
Factis ibi cubilibus.
En Auxer addictus, tuis
Nostrisque surdus vocibus,
Vrbis vetusta mania,
Fractis habenis, arietat.
Si te mouent suspiria,
Si te mouent & lacrymæ;
En fundimus suspiria,
Et lacrymas effundimus.
Ergo Pater, benignior
Factus, preces Lucensium
Audi, madentis aëris
Qui postulant clementiam.



Ad Illustrissimum Cardinalem Bonuisium de Bonuisiis, ex Pannonia Lucam redeuntem.

VIII.

PRinceps auito sidere clarior,
Quem nunc receptum Patria suspicit,
Virtutis illustrem trophæis,
Et titulis meritóque fastu;
Scientiarum te Puerum Dea
Excepit vlnas inter amabiles,

Doctásque

Doctáſque traduxit per artes,
Ingenij praeunte flamma;
Hinc ebibiſti diuite pectore
Dotes ſuperbas tunc animi, quibus
Per te niteſcit Luca, clares
Et Latiae venerandus Vrbi.
Tuum nefandi pectus aheneum
Damnoſa vicit tela Cupidinis,
Orcúſque calcauit quot atra
Monſtra vomit, rabidáſque peſtes.
Teſtis vetuſti clara Viterbij
Vrbs, quae ſupremum te ſibi Praeſidem
Amplexa, longo, concupitam
Senſit opem, releuata luctu;
Quin te micanti caſſide regiam
Frontem prementem, pectus & aegide,
Armis niteſcente togáque,
Horribiles metuêre Thraces;
Tot ergo raris moribus inclytus,
Nobiſque degas, & patriae & tibi:
Mercede Virtus nam labores
Seriùs aut citiùs coronat.



Ad Robertum Titium in Bononienſi Gymnaſio humaniores litterasglorioſiſsimè profitentem.

I X.

TIti beatis aemule Vatibus,
Aetas priorum quos tulit aurea,
Bononienſis Ciuitatis
Grande decus, columénque Titi,

Quò me pauentem gloria, quò tuus
Me ſplendor vrget, quò trahor arduus?
Quas præſcius ſumo ruinæ
Icarias periturus alas?
Tuúmne dicam cedere neſcium,
Maiuſq; magnis ingenium malis,
Inſanientis quo labores
Et rabidum ſuperaſſe dentem
Fatetur Orbis? tum ſibi maximum
Deſpecta tellus Itala vindicem
Te legit vnum, te ſupernis
Laudibus & titulis beauit.
Dicámne linguæ diuitis aureum
Flumen, Virorum quò velut ebrias
Ducis cohortes, quod peritum
Attonita bibit aure vulgus?
Vrbs docta talem Palladis inclytum
Platona vidit, Romaq; Tullium,
Iam iam labenti conſulentem
Multa ſibi, ſtupefacta ſenſit;
Si poſt labores, mens citharam iubet
Referre luſus, Pindaricum canis;
Si maximorum non ſilenda
Facta Ducum, grauiore plectro,
Incedis audax; nec tua terruit
Sublimis vnquam lumina Cynthius.
Cui lumen æternum niteſcit,
Quas potuit timuiſſe noctes?
Sic ſpernis Orbem, quicquid & improba
Fortuna ſæuit, Dædaleo pede,
Et nulla doctorum remittit
Lingua tuas taciturna laudes;
Obliuionis ſic validam manum
Eludis, alis vix homini datis,

Chartiſq;

Chartisq́; victurus superstes,
Perpetuum meditaris æuum.
Me Musa nutrit conditionibus
Contenta paruis, sat mihi cognitum,
Intráque fines me fouentis,
Nota sibi, Patria coarctat.



Ad eundem de obitu Diomedis Borghesij Senensis.

X.

ERgo piorum nescia parcere,
Roberte, votis, diffidit Atropos
Vitale stamen, qui paternæ
Borghesij noua norma linguæ
Reluxit olim? nunc iacet Italis
Lugendus oris, flebilior magis
Senæ Parenti, quæ decorum
Eximio viduata Nato,
Ætate digno Nestorei senis,
Et scissa crinem non secus ingemit,
Quàm fertur Argos pertulisse
Fata sui periniqua Vatis;
Frustra superbam flectere cantibus
Mortem studemus; profuit Orpheo
Tigres ad Hebrum quid sonoro
Indomitas domuisse plectro?
Cunctis id vnum est insuperabile,
Necesse cunctis; desine peruicax
Cantus lugubres, & querelas
O Sophiæ columen supremum;

Suspiriorum nubibus obsitas
Post vna multas eniteat tibi
Lux clara; mortem vincit ille
Quem meritis beat alta Virtus.




Ad Iannettinum Auriam Cardinalem, ad aquas Lucenses commorantem.

X I.

QVid peruicaci pigra silentio,
Chordis remissis Musa diu siles?
Cur publicos inter triumphos
Publica tu quoque conticescis?
Audis vt altè consonat vndique
Lucensis agri frondiferum nemus,
Syluaque certatim iocosa
Gaudia testificantur aura?
Vides amœnis currere fontibus
Vndas salubres? & solito magis
Ægris medelam ferre certam,
Atque hilares properare lymphas;
En LIMA *fluctu voluitur aureo,*
Tago superbo cedere nescia,
Hermòue, Vates, fabuloso,
Quos nimiùm coluêre prisci.
Hæc tanta nostris Auria purpura
Donauit oris, cuius amabiles
Raráque dotes qua rotundo
Ore queat retulisse Musa?
Ausa est Etrusco magna sonans stylo,
Cœptísque fœlix Tegrimia Aurias

Efferre

Efferre laudes, illa metam
Dædaleo tenuit volatu;
Tu verò prifco cautior Icaro,
Humana tentes, nil hominem fonat
Hoc purpuratum lumen Vrbis,
Et Patrij decus Orbis ingens:
Ille eft piarum prouidus Ædium
Cuftos, vbique eft maxima Pauperum
Tutela, fœlix ò Panormus
Principe facta beata tanto:
Sed tum nitefcet iure beatior
Orbis, Tiara cùm Auria triplici
Latè refulgens concupita
Aurea fecla nouabit Orbi.



Ad Ioannem Contium Phyficum præftantiffimum, de recuperata Valetudine.

XII.

IO beati Calliope decus
Chori, fupremam poft maciem, mala
Poft longa iuuerunt medelæ,
Et veteres rediére vires.
Sunt ergo grates innumerabiles
Modis agendæ Pindaricæ Lyræ,
En Contio, folus cadentem
Qui rapuit Phlegethontis vndis;
Mortis furentis contudit vnicus
Fatale telum, confcius omnium
Queis fœta ditefcit bonorum,
Terra nouo reparata cultu.

Alceftis

Alcestis olim coniugis exitum
Miserta, talem sensit opem manus,
Ceruice cuius fulta mundi
Siderei stetit ipsa moles,
Gens Graia priscum experta Machaona,
Perdicca talem Rex Macedûm senem
Qui sacra Naturæ recludens
Nestoreos iterauit annos.
Te iurè talem te meritis vehit
Vrbs nostra cælo laudibus, inuidæ
Voces recedant, nam beata
Cuncta tibi superasse Virtus
Concessit; altè tu Sophiæ impiger
Fontes perennes, tu penetralia
Rimatus, aspernaris vnus
Vulgus iners, volitante penna.
Quicquid minentur sub Ioue frigido
Atlante Natæ sydereum Genus,
Et quicquid Orion caduco
Exitij meditetur Orbi,
Vidisse præsens consilio occupas,
Duròsque casus prouidus anteis,
Hac arte confisus malignis
Conspicuus dominaris Astris;
Res grandiori dignior est sono,
Sententiarum copia deficit.
Quò Musa pergis? destinatos
Fessa viæ moderare gyros.

Finis libri secundi.



GVIDONIS VANNINII I. C. CARMINVM Liber Tertius.

ELEGIA PRIMA.

Auguſtinus, è Monte Piſano, Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo

S. D.

I.

HIc mihi magne Pater iam tertia voluitur æſtas,
Ex quo nulla tibi reddita noſtra ſalus:
Id mea præteritæ fecerunt crimina vitæ,
Si modò ſub Stygio eſt vita vocanda Duce.
Quæ fluit ex oculis dum culpas eluit vnda,
Immemorem fecit nominis eſſe tui;
Sic quidquid vixi, mihi vixi, vt viueret in me
Aſſiduus Chriſti, vita perennis, Amor.
Additur his ſeries variorum longa laborum,
Dum vagor Italiæ per loca ſacra pedes,
Quos Appenninus brumali ſydere diros
Non mouit nimbos horriferáſque niues?
O rigidas rupes, & inhoſpita culmina montes,
Bella vbi perpetuò ventus & vnda tonant:
Me mala iactarunt longis erroribus ægrum,

At grauiùs senior pertulit illa Parens,
Cara Parens, cuius lacrymis mihi reddita vera est
Vita animi, dederat corporis illa priùs;
Hac mihi semper erat duplicati causa laboris,
Ingens nocte dolor, maxima cura die:
Quot dabat afflicto suspiria pectore, Nato
Cor tot figebant spicula dira mihi,
Defessos donec nos tandem Roma recepit,
Grata fatigatis Roma futura quies;
Hîc placuit nobis denos consumere menses,
Lustramus cupido dum loca sacra pede:
Supplicibus iuuat húc genibus perrepere, & illúc
Iuncta pijs lacrymis oscula ferre iuuat;
Nunc & in Exquilijs modò condita visere templa,
Æstiua dudum quò cecidere niues.
Cur Petri te prætereo mons aureus, & te
Fons Pauli, vnde sacrum; lac, aqua, sanguis, abit?
Singula quid narrem? nil non lacrymabile vbiq; est,
Nil quod non spiret relligionis opus.
Interea rabidis vallata Canicula flammis
Ardet, & arentes Phœbus hiulcat agros:
Phœbus agit febrem, febris depascitur artus
Sæua meos, multùm hinc languet amica Parens,
Angitur atque dolet, simulat sed gaudia vultu,
Damna mihi mœrens ne grauiora ferat:
Clam me conqueritur singultibus interruptis,
Atque gemens longùm flumina fundit humi,
Acriùs inq; dies vis morbi sæuit, & ægrè
Confidit Physicus posse leuare malum:
Pharmaca multa parat, sed febris pharmaca vincit:
Quo magis hic præstat, perfurit illa magis:
Et iam succumbunt deuicto corpore vires,
Morte natant oculi, liuida lingua tumet:
Ipsa Machaonios Genitrix iam cedere succos
Sentit, &, ô clamat, quò mihi Nate fugis?

Heu me destitues externis siccine in oris?
Atque oculos claudam facta superstes anus?
Quid faciat? superos votis Cælúmque fatigat,
Fundit & assiduas nocte diéq; preces,
Et precibus lacrymas, lacrymis suspiria miscet,
Vt si non possint singula, multa iuuent.
Quid non cogit amor maternus? reddita certa est
Vita mihi, & Matri reddita vita mea;
Conualui, gratésque Deo persoluimus vnà,
Et compos voti, plurima vota, Parens;
Venit at interea Autumni clementia, móxque
Aspera successit, móxque recessit hyems;
Ver redit, ac teneris iuuenescit frondibus arbos,
Optatósque refert Taurus ab axe dies,
Ingenti Genitrix Patriæ flagrabat amore,
Traxerat & mentem sub sua iura meam,
Egredimur magna felici sidere Roma,
Tranquilloq; vehit Tybris vtrumque sinu,
Ostia nos recipit, quam prudens condidit Ancus,
Hàc Romam vt dites inueherentur opes:
Mens erat hinc nobis blandis dare carbasa ventis.
Vt patrias tandem cymba subiret aquas:
Deseris hîc fessum Mater dulcissima Natum,
Et, miseri victrix orbis, ad Astra volas;
Quas ego non fudi lacrymas? ô semper honore
Digna dies, Gnato semper acerba dies!
Inferijs deflens tumulo de more solutis,
Hinc soluo oblitus Punica terra tui,
Tyrrhenúmque secans dextra iam mœnia linquo
Pyrgorum, celeri post mea terga rate,
Antiquúmque Inui Castrum, sed sole cadente
Ad centum cellas palmula flexit iter.
Hîc homines vidi Christi sacra signa secutos,
Quos sibi viuentes horrida tesqua iuuant.

Fœlices

Fælices animæ quibus optatissima magnas
Paupertas stabili fœnore aceruat opes;
Aura fauet, pelagóque volans natat vncta carina,
Cernitur Argenti nomine dictus apex;
En maris ad læuam iam se Capraria tollit,
Nec procul hinc Gorgon tu quoque fortis ades;
Clara Triturrita vento pelagóque fauente
Ex templo puppis littera nostra tenet,
Hinc recto Alphæas contendo tramite Pisas,
Quas circumuallant Arnus & Æsar aquis;
Mons erat ad læuam, Pisanus nomine, Cœlo
Dilectus, Monachis portus & alma quies:
Hûc ego secessi, cupidus mihi viuere, vitam
Nam dignam Cœlo, qui sibi viuit, agit;
Hîc fruor optatis, Pater ô sanctissime, Votis,
Et desiderijs mens vacat alta suis;
Hîc mihi soliuagæ sunt magna palatia rupes,
Hîc & inaccessæ mollia prata viæ;
Sollicitos alius Sarrano quærat in ostro
Somnos; nam requies est mihi sola solum:
Aurea pacatam turbant laquearia mentem,
Et vigiles noctes purpura multa trahit.
Longa fames corpus lassat? sitis ora fatigat?
Herba famem sedat, pellit & vnda sitim:
Hinc ego prospicio vesanas æquoris vndas,
Et tacitus mecum, sic mea vita fuit;
Mors mihi vita fuit, furijs agitata Iuuenta,
Perpetuò est lacrymis culpa luenda meis.
Nonne Deus, clamo, flenti mihi crimina, parcet?
Parcet, respensant concaua saxa, Deus,
Hic inter rupes quæ sit mihi causa morandi?
Orandi, *subitò vasta cauerna sonat,*
Nec procul hinc distant dilectæ mænia Lucæ,
Mænia finitimis imperiosa locis,

Vrbs est grata mihi, cælo gratissima, namq;
Cœlestis lucis nomen & omen habet;
Illa suis factis olim si claruit orbi,
Nunc magis in vera Religione nitet;
Húc me sæpe fero, vt Mariæ noua tēpla frequenter
Inuisam, & Trino templa dicata Deo;
Et quo iam steterant Triuiæ simulacra, nefandóq;
Amphitryoniadæ structa sacella loco,
Signa Crucis gemmis auróque intexta coluntur,
Pendet & auratis picta Tabella tholis;
Quaq; Theatrales conspexit machina pompas,
Christiadum pompas excipit illa sacras:
Hic vbi circus erat Romanis æmulus, inter
Nunc tercentenas emicat ara faces;
Est populus pietate simul, simul inclytus armis,
Inter & Hetruscos fortia bella gerit:
Hûc debellatas acies Sempronius olim
Duxit relliquias ô Thrasymene tuas,
Hic quoque Romanos fasces exhorruit Orbis,
Et iuncto ternos fœdere ritè Duces:
Longinquis hûc si tendat peregrinus ab oris,
Semper habet, quærit quam miserandus opem:
Gens habitat fidei atque obseruantissima recti,
Largiter, inque omnes officiosa pios,
Ille Deus cui sunt curæ pia facta, secundus
Forsan Lucenses ad meliora ferat,
Eniteántque sui concordi robore Iuris,
Lucáque præclaris rebus ad astra volet,
Illustres miretur Auos sanctúmque senatum,
Et libertatis pace fruatur amans;
Luca placet, tamen alme Pater si vera fateri
Ipse velim, mentem sola cauerna beat;
Hic ploro, hic lacrymor, culpas nocturnus in antro,
Et matutinus turpia facta gemo:

Si

Si niuibus rigeo, flammas & sulphura Ditis
Ante oculos mea mens quæ meditetur, habet.
Sirius vrit agros? meditantis, membra rigescunt,
Æternos æstus, Styx pice septa, tuos,
Quóque Deum magis offendi, tanto magis intus
Dilacerat pectus plurima culpa meum:
Ast aliàs Christi effigiem tua munera longùm
Amplector, toto pectore fusus humi:
Seu dextram dextræ admoueo, siue oribus ora,
Vera mihi os loquitur, sanat & illa manus:
Est affixa Cruci, iacere vt dediscat amicè
Deses in innumeros, tela trisulca, reos;
Pectus hiat fossum crudeli cuspide, turpes
Vt scelerum sordes sanguinis vnda lauet.
Heu quis non Domino lacrymarum flumina fundat,
Sanguinis in Domino dum videt illa suo?
Vnda vndam societ certatim, vt sanguine & vnda
Mollescat vinctum cor adamante meum.
Totus amans est vulnus; ego quoq; vulnera totus,
Sanus ero, mea si vulnera vulnus ament.
Languet amans vt languendo me flectat amantem,
Et moritur vita, vt vita sit ille mea.
Tu quoq; qui misero Pater optime vita fuisti,
Affer opem; precibus, dum potes, affer opem,
Vt per inaccessas rupes & inhospita tesqua
Ad superos ducat me METANOIA. Vale.



Monica Mater Augustino suo Romam profecto.

II.

S*Iccine Nate tuam potuisti linquere Matrem,*
Nate nimis Matri credite, care nimis?

Ah

Ah cedunt feritate tibi Tigrésque leæq;,
Et Massilæi turpia monstra soli,
Córque adamanteo vinctum est tibi perfide nexu,
Quódque nefas maius, pectus inane fide;
Me iurata rudem tua perfida lingua fefellit:
Mens tibi vafra fuit, lingua dolosa fuit;
Decepisse tuam falso sermone Parentem,
Scilicet est superis æquiparandus honor?
Hæc sunt perpetuis præconia digna Triumphis?
Hæc manet ingenium messis opima tuum?
Credula mendaci decepta est pignore Mater;
Nam facile est Matrem credulitate capi;
Quàm bene cognoui patria tua tædia nostra,
Ex quo Roma tibi plurima in ore fuit.
Sidera lucebant, Phœbus fulgebat ab axe,
Illa tamen steterat pectore cura tuo;
Audiui quoties per somnia vera fatentem,
Roma mihi requies, Roma fruendus amor?
Quando erit vt te complectar mea sola voluptas,
Roma salus, animi Roma medela mei?
Hæc iactata tibi nostris contraria votis,
Torquebant quanto pectora mœsta metu?
Quas ingrate preces non moui sedula, multis
Et precibus quæ non oscula iuncta dedi?
Hæserunt, meminisse potes, mea brachia collo,
Interdúmque tuos circumiêre pedes.
Te pudeat ni iampridem pudor ora reliquit,
Me genibus Matrem procubuisse tuis:
Improbe vidisti tumidos deflentis ocellos,
Et terram salsis immaduisse vadis;
Omnia tentaui, sed tu fallacior ipsis
Syrtibus, in blando melle venena dabas;
Sum donec decepta tuo sermone, datámque
Fregisti tecta proditione fidem;

Quàm bene adhuc memini, retinet lædentia pectus;
Heu lacrymas, Mater, siste parumper, ais.
Si quis amor vel cura mei te tangit & angit,
Ah sine me Romam tuta carina vehat:
Nulla mihi hîc requies, odi lectúmque cibósque,
Membra torus vexat, non iuuat ora cibus;
Ast vbi contigero Romani littoris oras,
Ora cibos quærant, & iuuet ossa torus:
Mens immota, Parens, illuc sum certus eundi,
Et si distulero tempora, funus habes;
Quin potiùs si Pignus amas, cum Pignore Romam
Læta veni, haud poterit pœnituisse via:
Nobiscum Deodatus erit, virtutibus auctum
Olim quem faciet regia Roma virum;
Aspicies Vrbẽ frænantem legibus Orbem,
Et dices, Orbis totus in Vrbe nitet;
Hîc variis cernes fulgentia templa lapillis,
Atque tuæ immensas Relligionis opes,
Si Carthago placet, magnæ Carthaginis illa
Vincit opes, Terris imperiosa nimis;
Læta veni, nam Roma mihi iam spondet honores,
Et parat eloquio præmia digna meo;
Roma meis, Genitrix, factis patet area; forti
Quid iam felici subtrahis ægra sinum?
Has similésque dabas mentito pectore voces,
His addens humiles fortia tela preces.
Sic comprensa dolis, promisi credula vastum
Cærulea tecum scindere puppe fretum,
Quos tum fingebas mecum malesane triumphos?
Et non narranda callidus arte iocos?
Iuncta dabas miseræ mellitis oscula verbis,
Certius vt gemino vincerer hoste Parens;
Victa fui, sic apta via mihi multa parantur;
Cymba procellosis apta paratur aquis,

Venimus

Venimus ad portum (pelagus ventiq; fauebant)
Proximus est templo qui Cypriane tuo;
Hûc ego secessi, auxilium oratura supernum,
Dum vaga nautarum turba moratur iter;
Deseris orantem pro te, ventiq; per vndas
Heu coniurati vela fidémque ferunt,
Quod scelus vt nostras infandum perculit aures,
Ad portum celero præcipitata pedem,
Sed tua iam longè puppis vada salsa secabat,
O amor, ô pietas, ô temerata fides;
Perfide proclamo, resonat mihi, perfide, littus;
Littus habet sensum, nec tibi sensus inest,
Hûc periure redi, ne te tua crimina damnent,
Quò fugis? in medijs pœna luetur aquis.
Fœderis est vindex violati pontus, & ipsa
Non habet heu numeros panda carina suos:
Si puppim prohibes, quo pacto ætate tulisses
Effœtam collo me violente tuo?
Hæc promissa fides? hæc est data dextera dextræ?
Hæc impressa meis oscula crebra genis?
Non mea canities potuit sæuissime rerum,
Frangere munitum cor adamante tuum?
Gratum te simulas, & Matrem decipis Hostis;
Fallis & occulta proditione fidem?
Illa tibi Mater, famulæ quam deseris instar?
Illa Parens, quæ sit sola relicta solo?
Eheu quid merui, vel quo me crimine damnas?
Quæ mea pertæsus facta repentè fugis?
Quò periture fugis? Deus est iustissimus vltor,
Cui sæuum famulas exhibet æquor aquas;
Quem tu non nosti, nouerunt ventus & vnda;
Siste, tibi mortem ventus & vnda parant:
Scylla vorax canibusq; latus vallata Charybdis;
In te iam rabidas exacuêre manus.

Quid tibi mentis erit spectanti monstra? citísque
Fracto turbinibus quid tibi mentis erit?
Protinus ante oculos stabit mœstissima Mater,
Eheu deserto sola relicta loco,
Impie frangeris, tandémque fatebere victum,
Sapius & dices, qua fero, iurè fero:
Tum Matris tibi nomen erit pradulce, quod horres,
Nomen in extrema voce Parentis erit;
Hos inter gemitus, & singultantia verba;
Heu cecidi glacie frigida facta magis,
Donec me sensi sera sub nocte relatam
Basilica manibus Perpetuaque domum,
Officium fecêre pium: tamen impius heu tu
Me nolente secas aquora vasta rate;
Dic vbi peruenias, quò fert vesana voluptas,
Nulláque perfidia perfide damna feras,
Ecquid erit pretij? vanos tibi fingis honores,
Fallere, nam res est credula blandus amor.
Ambitionis amor nimis ah te raptat amantem,
Decipit & pectus spes malè certa tuum.
Facta putant iuuenes qua sunt facienda. feróque
Prouida consilij sub pede colla premunt;
Quas sibi non fingunt ardenti mente Chimaras?
Iste ager heu nimia fertilitate nocet;
Scilicet insigni excipiet te Roma Triumpho,
Ibis & auratis conspiciendus equis;
Sublimem plaudet te circum turba, petésque
Dein Capitolini culmina celsa Iugi,
Per te captiuam sic viderit Africa Romam,
Africa qua toties colla subacta dedit:
Gratulor, ast cupida sunt mendacissima mentis
Gaudia, qua temerè spes animosa fouet;
Pergis vt eloquium messem tibi diuitis auri
Congerat? heu posthac vnde querare, cupis:
Sapius

Sæpius est Iuueni scelerum seges aurea Nutrix,
Fulcitúrque opibus luxuriosus amor;
Nominis es cupidus? quæras tibi nomen ab astris,
Immortale dabit terra beata decus:
Si sapies, pulsis tenebris, Cælestia verè,
Crede mihi, dices, Est Deus omne bonum;
Quicquid habet tum Roma, tibi sordebit, honoris,
Orbis vilescet quicquid amoris habet;
Plura velim, sed plura dolor vetat addere, qui si
Permittet miseram me superesse parum,
Te sequar audacter per mille pericula rerum,
Nil erit optatum quod remoretur iter;
Hærebo lateri custos rigidissima, donec
Constituas manibus nostra sepulcra tuis;
Hos oculos condes, cineríque precabere fausta,
Et saxo lacrymis oscula mista dabis;
Hæc rata promisit mihi spes certissima Christus,
Hæc perstant nullo dissoluenda die;
Quæ iam dum meditor, solito claudatur (in ira
Quod modò nolebam) littera nostra, Vale.



Raymundo suo Patri Confessario Catherina Senensis S. Genuam

III.

INsolitis Raymunde modis mirare canentem?
Desine, sic diuus scribere iussit Amor;
Solus hic edocuit numerosas ordine leges,
Hic dedit & Latio verba referre sono;
Si Christo didici iam prima elementa Magistro,
Hebræi vt canerem carmina sacra Senis;
Instruxit si facundo me Diuus Aquinas
Maternas calamo ducere posse notas,

Nostra mouet nunc Victor Amor feliciter ora,
Extremáque iubet fundere voce melos;
Sic quà flexiuagas Mæander circinat vndas,
Concinit alba suæ præscia mortis Auis;
Te tenet Vrbs Genuæ, varijs agitata procellis,
Turmatim secum quas fera bella trahunt;
Fortis vbi Christo fretus Cælestia verba
Plena tonas, Diuûm numine, plena Deo;
O Decus Italiæ, flos ô nitidissimus Orbis,
Quò fugis, immensas quis populatur opes?
Quæ Ligures Venetósque ferox instigat Erynnis?
Cogit & Etruscos impia bella sequi?
Perge Pater, munúsque volens feliciter vrge,
Síque opus est, proprio sanguine dicta proba.
Nam Christi fulget libertas candida in auro,
Est aurum cruor, hic purpurat, illa nitet,
Vim patitur Cælum, non mollis ducit ad astra
Semita, sed monstrat sanguis vbique viam;
Me miseram quòd me tanto non sponsus Amore
Dilexit, pignus vellet vt inde meum:
Est in amore cruor, firmatæ Pignus Amantis:
Candidus est, fateor, sed rubicundus Amans;
Obuia pro Christo qui non fert pectora morti,
Indignus Christi est quem lauet vnda reum;
Torpuit ante oculos cur stricto dextera ferro?
Ah nimis in iugulum saxea facta meum,
In nimia pietate pijs fuit impia votis:
Vota necem dederant, abstulit illa necem;
Nam quoties dixi, fundam cum sanguine vitam,
Illusit toties spes inimica mihi:
Noluit Vrbanus strictis me apponere telis,
Impia dum cædes Tygris vbique sitit.
Est Tygris vesana, Lea est furibunda per ensem,
Quæ trucis Appuliæ sceptra Ioanna gerit.
Effera sæpe tamen vidi mansuescere corda,

Atque

Atque Agnam fieri quæ modò Tygris erat;
Mittite me Patres per tela corusca, per ignes,
Tela dabunt aditus & dabit ignis iter:
Dat Deus eloquium cui vult & flumina fandi,
Vicisti doctos sic Catherina Sophos:
Virgine vincantur, causa vincuntur ut hostes:
Stabit pro castris insq; piumq; pijs.
Quò trahor imprudens, Sponsus non annuit ausis.
Cui data sunt cordis libera fræna mei:
Tu quò sponse placet, trahe me dulcissime tecum:
Es mihi nam totus Gratia, totus odor,
Vbera quin auidis præbe ô castissima labris,
Vbera nam tua sunt mi meliora mero,
Hûc ades ô solamen, ades spes vnica vitæ,
O decus, ô requies, hûc meus ignis ades;
Vre ferox intus, quò me violentiùs vras:
Fortiùs in nostro Corde triumphat amor,
Me malis stipate, latus fulcite hyacinthis,
Diuino pectus languet amore meum.
Fasciculus myrrhæ meus est dilectus, amanter
Vbera cui dederint nostra in amore moras.
Quem mea mens perijt, tenui Raymunde, nec vnquã
Dimittam, ille salus, ille amor, ille quies;
Iam te Christe meo possedi pectore, & vnà
Sic fuero, donec vita superstes erit.
Nescit amans seruare modum, modus absit amanti:
Oscula mille dabis, mille iterata dabo,
Me transfigat amor, me maceret igne medullis
Inq; meis rapidas ventilet vsq; faces,
Vni Christe tibi mea mens obnoxia semper
Seruiet, vnus eris tu mihi semper Amans,
Hæc anima Raymunde Pater sunt gaudia nostræ,
Membra iacent solito non releuanda toro;
Crastina namq; dies tandem me reddet Amanti,
Martyris est Petri quæ celebranda dies;

Sat gracili Stygias excepi corpore turbas,
Atque catenarum verbera mille tuli;
Quot rabidas pestes, quot claudit mõstra Barathrũ,
In me iam vires exacuere suas:
Mouit in intrepidam Stygius dira arma Satelles,
Nunc Leo, nunc Tygris, nunc furibundus aper,
Exercet rabiem nullo prohibente cruentus,
Et mouet arbitrio tela trisulca suo;
Is coniurato numerosas agmine secum
Conspicui turmas Principis instar agit,
Certatimq; meos furialis verberat artus,
Verberat & corpus nocte dieq; meum.
Dædala non tot habet tellus hoc tempore flores,
Saucia vulneribus quot mea membra tument,
Iam mihi Cella quies facta est fera regia Ditis,
Vt Plutona suam deseruisse rear,
Verber vbiq; sonat, fremitus tonat, horror vbique,
Quoq; magis sæuit, fulminat inde magis.
Pergite & vnanimes vires effundite vestras,
Pergite & hoc meritum sollicitate caput;
Quod cupit atq; ardet mea mens, est munus amãtis,
Est Sponsi munus tot mala ferre mei,
Tot mala ferre, mihi nihil est, perferre triumphus
Quis dabit in tantis secula mille malis?
Multa tuli, sed plura velim, nam reddor Amanti:
Sic similis, Regnum sic tenet ille suum:
Morte sua tulit humanæ medicamina Genti,
Adiuuat humanum mors mea fortè genus,
Nostra fides nimbis titubat perterrita, Petri
Dum temerè sacram verberat vnda ratem.
Scissa vides vela & fractos Raymunde rudentes,
Quique præest, iam iam turbine fertur aquæ;
Sanguine iam spumant fluctus quos rixa cruentat:
Sanguine Christiadum quæ caret ora sacro?
Vis rapit in præceps dirupto fœdere Iustum,
Dila

Dilacerat Martis iura sacrata furor:
Sponte mea quæ non subij discrimina rerum?
Mille tulit tellus, mille tulere freta;
Te Comitem plerumq; habui Patremq; Ducemq;,
Bella tamen votis præualuêre meis;
Ah precibus quoties iratum flectere Amantem
Contendi, toties respuit ille preces,
Tunc ego firma magis, clamabam, sanguine nostro,
Si placet, ô saltem sponse medere malis,
Vre, seca longum, non sum rudis, acriùs insta,
Intrepidum pectus senseris esse meum;
Bella cruor meus extinguat, furiata relaxa
Agmina, quot Ditis lurida regna vomunt;
Quis modus irarum bellandi aut terminus, ah
Iam tandem Italiam tarda medela leuet;
Parce fatiscenti, letho, aut me dede, furores
Ardentes reprimam victima facta tuos.
Hoc te per tædas quibus es dignatus Amantem,
Pérque tuos clauos munificumq; latus,
Pérque oculos oro, mihi dulcia tela, micantes,
Qui me vix natam surripuere mihi.
Quæ precibus spe firmatis Raymunde negantur?
Flectunt iratum vota precésque Deum.
Vix ego finieram, iam iam pacatus Amanti
Sponsus adest, librum dextera sacra gerit;
Fatorum liber ille fuit, sic prætulit index,
Atque ait, has hilari lumine curre notas,
Iussa lego, & tacitum pertentant gaudia pectus,
Atque genæ falsis destituuntur aquis.
Hic ego cernebam septem post lustra quietem,
Dum populum Christi Quinta Columna regit:
Illa quies fuerit, non pax firmissima, donec
Nicolei cingat Terna Corona caput;
Fulget io pax alma, silent terraq; fretumq;,
Fulget io & Christi regnat vbiq; fides;

Affert hic lucem Lucensi oriundus ab Vrbe,
Restituétque sacras Vrbis & Orbis opes:
Lætitiæ seges vberior, noua causa Triumphi,
En Christi excipiunt Indica Regna fidem,
Iaponis ora colit sacratæ fœdera legis,
Quæq; legit gemmas ora remota, colit,
En quoq; vincuntur lunatis agmina peltis,
Et stat pro Quinto iusq; piumq; Pio;
Hæc vbi perlegi, ridenti lumine, Virgo,
Sponsus ait, tristi pectora solue metu:
Ecce tui cruor effusus, pulcherrima, cordis
Mox Italas oras Pontificesq; iuuet.
Surge age amica mea, & propera formosa Columba,
Læta veni, tandem, sæua recessit hyems,
Læta veni, multus pingit flos prata, tumescit
Iam ficus, floret vinea, læta veni:
Surge age, perpetuò sponsum fruitura, perennes
Et quas delicias terra beata parit:
Crastina lux ambos æterno fœdere iunget,
Nos ætate pares, nos & amore pares:
Sic ait, & Cælum petijt, quò donec abibo
Liquor vt ardenti nix liquefacta face.
Iam tamen ecce vocor, iam me traducit ad astra
Sponsus, dum viues, ô mea cura. Vale.



Augustino Episcopo Hipponensi Hieronymus S.D.

IV.

Q Vam legis, ô Patriæ columen, si littera languet,
Desine mirari, languida membra iacent:
Ægra manus, mens ægra, suos pertæsa labores,
Scribere conanti munera sueta negant.

Nec

Nec te quo tenear, rerum doctissime, morbo,
Præterit, est morbus cana senecta meus;
Hieronymi quicquid superest, vocalis imago est,
Vmbra est Hieronymi quicquid amice, sonat;
Iam bis lustra nouem gressu titubante propinquant,
Ex quo Natalis lux celebrata mei;
Est macies corpus, vix ossibus ossa cohærent,
Turbida præsenti lumina morte natant,
Mortem aueo, vt Christo tandem coniūgar Amanti:
Grata tamen veniet, cùm volet ille, quies;
Dummodo ad astra vocer, serus traducar ad astra.
Præmia plura dabit quo magè sera dabit;
Me quantum velit extenuet vitiosa Senectus,
Tardet & instabiles desidiosa pedes;
Et quatiat lassos mihi creber anhelitus artus,
Deses ab officijs non tamen ipse vacem,
Vita hæc perpetuus labor est, ego miles Iesu:
Ah grauer in Solymis multa dolenda pati?
Hîc tellus, hîc saxa suis minitantia saxis,
Suadent militiæ signa cruenta sequi:
Nam rigidas Christi precioso sanguine cautes
Hîc latè madidas lumina nostra vident.
Dux vitam effudit, sudores miles vbiq;
Abneget? ingrato terra dehisce priùs;
Segniter ardet amans? nomen deponat amantis:
Res est ingenij semper agentis amor;
Diuus amor pauidas inflammat robore mentes;
Languida confirmat pectora Diuus Amor,
Hic rapit intrepidas per Martia tela puellas,
Hic rapit & pueros, & rapit ille senes;
Hic facit vt gelidæ sint alta palatia rupes,
Hoc Æstas friget Vindice, feruet hyems,
Huius ego subdo mea colla senilia vinclis,
Meq; catenatum, quà cupit ille, trahat;


Quis demens, terrisq; grauis, Calóque rebellis
Talibus in castris æra merere neget?
Fortiùs vre meum Victor fortissime pectus,
Adde faces facibus, vincula vincla grauent.
Nam seruire tibi, regnum; Victoria, vinci est,
Dum te Victorem nouerit esse suum;
Diuitiis me iussit Amor posuisse paternis
Hîc templum, templo finitimósque lares,
Longinquis quò se referens peregrinus ab oris
Conferat, & dapibus corpora fessa leuet;
Hîc tuus exceptus permansit Horatius hospes,
Hîc & Apodemius Sulpitiúsque tui:
Felices animæ quæ te quocunque sequuntur,
Ætthereúmque tuo nectar ab ore bibunt;
Est angusta domus, tamen est domus hospita multis,
Quos hùc assiduos hæc loca sacra trahunt;
In paruo tria parua nitent altaria templo,
Quæ pinxit minium docta animare manus.
Prima tabella refert Infantem viuida Christum,
Cui Puero Reges munera trina ferunt;
Altera sanguineo pendentem stipite monstrat:
Quis ferus heu lacrymas Christo obeunte neget?
Hîc adstat gemebunda Cruci castissima Mater
Per coaceruatos saxea facta metus;
Tertia terribilem sublimi in nube sedentem
Ostentat toruum lumine, mente ferum:
Agmina densantur populorum, hinc inde frequentes
Quos ad iudicium buccina dira vocat;
Surgite mortales, clamat sonus ille, sepulta
Surgite, & in vestros ossa redite toros;
Alme Pater nutum testor qui temperat Orbem,
Aures assiduè sauciat illa meas,
Obstrepit illa, vagos dum cogit Phosphoros ignes,
Obstrepit, & sua dum sydera Vesper agit,
Si releuo mea membra cibo, sonat illa repentè;

Surgere,

Surgere, si recubo, me iubet illa, toro,
Denique quicquid ago, semper circunsonat aures:
Nunc quoque scribentem me ferit ille sonus.
Quid iuuat assiduo multum didicisse labore,
Si suprema tamen fecerit hora reum?
Ah quoties vano turgescunt pectora fastu,
Ille sapit, solus cui Deus ipse sapit;
In Solymis si fortè petis quæ gaudia terris
Percipiam, longum sit retulisse mihi,
Haud, humana, loqui potis est Cælestia, lingua,
Queis secum ipsa tacens mens solet vnà frui;
Alta superbifico valeant Capitolia luxu,
Sit procul hinc Circus, sæua Theatra procul;
Arua Palæstinæ fuluis potiora metallis,
Hæc loca sunt votis vberiora meis;
Hîc præsepe colo teneri Natalia Regis:
Vagijt hîc dico, lacrymuláque dedit;
In lacrymas vos ite pias mea lumina; terræ
Sacratæ vt lacrymis oscula mista feram:
Oscula mista feram quot voluit Nilus arenas,
Oscula Mopsopio melle cupita magis;
Quid memorem mea cùm baculus vestigia firmat?
Caluariquepeto culmina sacra iugi?
Quot saxa aspicio, proclamo perditus eheu,
Vos Domini lauit, vos quoque saxa cruor?
Fortis Amans tulit hâc pondus ferale nocente
Pro me, dum totus nil nisi plaga fuit?
Stat læua angustum paruo de marmore Templũ,
Quod Mariæ σπασμὸν Turba Pelasga vocat.
Hîc lacerum vix agnouit mœstissima Natum,
Tantus vbique cruor, tantus vbique dolor;
Parua meos trahit hâc oculos domus Hospitis, vltrò
Quæ dedit exangui candida lina Deo.
Parua dedit, maiora tulit, quid cætera narrem?
Quæ loca diuini monstrat Amantis Amor?

Hic furor hostilis laniauit corpus, & illic
Saua cruentarunt spinea serta caput.
Faeminea hîc lacrymis perfusa lumina Turba,
Non me flete, inquit, vos manet iste dolor,
Dixit, & adiutus collem Simeone petiuit,
Christus vbi victa morte Trophaa tulit;
Hûc dum perueni diuino percitus œstro,
Lîquor vt aduersis concita Tada notis,
Me vernis fulcite rosis, stipate ligustris,
Cor heu cor nimio languet amore meum:
Hoc dilecta loco Patri fuit hostia Christus?
Carnificisq; fero est munere functus Amor?
Haccine virgineo spumarunt sanguine saxa?
Hanc sacro rupes immaduere mari?
Hacne meas lauit noxas sacer Agnus in Ara,
Humani Generis factus Amore nocens?
Dum mea lingua silet, vos lumina fundite flumen,
Fundite, nam lacryma pondera vocis habent,
Vestra salus fletur, nimio vos perdite fletu;
Hîc perijt saua lux quoq; vestra nece:
Plurima sed lacrymas socialiter oscula iungant,
Namq; dolor lacrymas, oscula fundit Amor.
Quàm iuuat hic geminas oculorum amittere luces,
Ac triuisse sacro labra superba solo;
Quisquis ab hoc tumulo viuum diuellet Amantem,
Hostis erit, dulce hîc viuere, dulce mori est.
Hac sunt Augustine mea gratissima mentis
Gaudia, queis fœlix nocte dieq; fruor;
Tempus erat mihi cùm vires dabat acrior atas,
Diuersas petij fortis vbiq; vias:
Tum celer inuisi Terras Samaritidos Ora,
Atque tuas Hermon, Nazaret atque tuas,
Tum quascunque suis sacrata volumina fastis
Illustrant, celeri iuuit adire pede;
Nunc est vna mihi Bethlem labor vltimus agro,

Bethlem delicijs cognita terra meis,
Me tenet archaicus languentem lectulus, atque hinc
Posse datur cunas cernere Christe tuas;
Auguror extremum vitæ propè tempus adesse,
Pendulus hûc illûc corpora funis agit;
Quæ dictem crebrâve iterem dulcissima voce,
Cycnæo Syrius corpore factus olor,
Qui feret hanc, tibi Sulpitius narrauerit, ille
Pectoris est nostri conscius, ille tui,
Dulcis Amice Vale, donec dilectus vtrunque
Perpetuo iungat fœdere Christus Amor.



Gregorio Nazianzeno Præceptori suo Hieronymus S.

V.

Optatum teneo tandem Pater optime portum,
Est Bethlem votis portus & aura meis,
Quid cessas? gratare mihi, superauimus Æquor,
Vicimus & Siculi monstra timenda maris,
Hîc mihi quartus abit mensis gratissimus, ex quo
Attigit hoc Solymæ nostra carina solum,
Scripsissem priùs, hîc certus si nauita funem
Soluisset, rectà littera vestra petens;
Concita sed ponti rabies ventiq; furentes,
Inuitas portu detinuêre rates;
Ah quoties dixi pelago fauet aura, repentè
Dum scribo nautis aura inimica fuit:
Hîc tamen vsque tui memor & securus amoris,
Vixi, quem poterit nulla abolere dies;
Certa fides firmo iunxit nos fœdere, nostram
Vna dies vitam finiet, vna Fidem;
Non cadit exiguo quercus vetus impete Lauri,

Nec rupes nimbis exagitata cadit;
Sic noster perstabit amor, diuersa locorum
Cui plaga nil noceat, nil tacuisse diu:
Clauserunt longum iam nostra silentia lustrum,
Dum specto fastus Roma superba tuos;
Quò me raptarant Epiphani copia fandi,
Et Pauline semel non data dextra tibi;
Quicquid ibi tulerim, cogar si claudere versu,
Quot parit enumerem terra Cilissa crocos?
O ego cui vitam imminui, cui sedulus annos
Impendi? toties cui data nostra fides?
Prodiga terra fui, ferri perpessa rigorem,
Cui bona fertilitas vulnera plura refert;
Roma rapit, sana ah quantum mentísque animiq́;
Tybridis in medio Salmacis unda latet;
Hîc leuis ambitio & mendaci gloria fuco,
Illita concordes sceptra superba tenent;
Quin sine lege ruit blandis comitata ministris
Tu rpiter exultans imperiosa Venus:
Conatur Damasus stimulis ardentibus actus
Vulneribus multam ferre potenter opem:
Tristia sed medicam detrectant vulnera dextram,
Vulnera iam turpi putrida facta mora;
Inuigilat Pastor, potis est nec pellere fures,
Nec potis à stabulis pellere voce lupos.
Quis non Hieronymum super æthera tolleret ægrum
Si tamen hîc vitijs pectus habere velit?
Cùm Fescenninos cœpi reprehendere mores,
Acer & in sontes libera verba loqui,
Tum reus, & mendax, tum dictus lubricus, atque
Permulta Stygij Principis arte vafer;
Hinc mihi pro titulis insignibus vndique facta
Fortiter insidiæ multiplicésque doli:
Sic me deprenso sceleratorum agmine certos
Agnouit nutus mens mea Christe tuos,

Vrbis

Vrbis Bethlemiæ subierunt otia menti,
Otia delicias inter habenda meas:
His flammis impulsus, & hoc stimulatus ab œstro,
Roma vale, dixi, subdola Roma vale:
Non ego Cumææ peragam si secula vatis,
Ampliùs inquiram quas malè fundis opes.
Sic rediј optatam Solymæ properanter ad Vrbem,
Caluariq; apicem Bethlemióſque lares,
Haud aliter decimi passus conamina fluctus
Tranquillum portum nauita lætus amat.
Et belli miles post mille pericula, vitæ
Quod superest, patrio sub lare tutus agit.
Quò Circus mihi Roma tuus, quò prisca Theatra,
Quo mihi barbaricis omnia plena bonis?
Quid trabeæ fascésue mihi, aurataque quadrigæ,
Præ Christo sordent, India, Bactra, Tagus.
Hic ego nunc meditor secura mente quod olim
Discipulum docuit lingua diserta tuum,
Sic sibi sic animæ, nunc nosco, viuitur, & sic
Omne malum Cælo quod patiare, leue est.
Hic ego despicio mensas lætissimus omnes,
Aut Luculle tuas, aut Epicure tuas,
Phocaico sordent saturæ mihi murice vestes,
Non mea Oronteo spirat odore coma.
Vera voluptatem est omnem vicisse voluptas,
Hæc manet æternum, diffugit illa breui;
Si mea liuescunt multo contusa flagello,
Aspicio Christi membra cruenta mei,
Torrida sit flammis, nimio vel frigore pellis:
Sudauit Christus, Christus & alsit amans,
Deniq; quicquid ago supremæ haud immemor horæ,
Ad Christi normam lætus Amantis ago:
Herba mihi cibus est, fesso mihi terra cubile;
Sedat & arentem frigida lympha sitim;
Quid Tyrio recubare toro dum fluctuat æstu

Pectus,

Pectus, & heu mentem plurima pestis habet?
Quàm iuuat huc illuc sacros lustrare recessus,
Olim sollicito quos pede Christus obit,
Atque dies ibi cum multa consumere nocte:
Nox breuis est votu, est breuis orta dies;
O quoties sacri puras Iordanis ad vndas,
Verba mihi raucum littus amata refert;
Nam quoties Orci memores clamauimus, eheu,
Eheu, visa mihi ripa benigna queri,
Christus Amor, dixi, rapta super æthera mente:
Vox audita mihi est consona, Christus Amor;
Lumina nostra tenent longùm loca singula, menti
Sed tamen est Bethlem gratior vna meæ,
Hic præsepe Dei est, vitæ hinc nostræ omnis origo:
Hic iaceo, hic meditor nocte dieq; vigil;
Hoc amplector amans, huic oscula dulcia figo,
Dulcibus huc lacrymis humida serta fero,
Dissolui cupio vt Christo coniungar amanti,
Commodus inferijs hic locus vnus erit.
Illa igitur cùm summa mihi diluxerit hora,
Hæc sit discipuli cura suprema tui:
Hic iaceant ossa exiguo comprensa sepulcro,
Hoc super inscriptum cui breue carmen erit;
Hieronymus deflens sua crimina, mortuus hic est,
Natus vbi est, Hominum publica vita, Deus.



Magdalena Marthæ Sorori
VI.

Sæpius amissam quam tu, Soror optima, flesti,
Illa tibi scribit, perlege, sospes adhuc,
Ex quo te liqui iam Sol sex lustra peregit,
Vt flerem vitæ facta pudenda meæ,
Te soror, & Fratrem, ne Christo deserar vno,
Deserui, ille meus frater, & ille Soror;

Auda

Audacem facit ipse Deus, Deus odit inertes,
Ad res difficiles dum vocat, ille præit,
Quisquis amat lentè, nomen deponat Amantis:
Segnitie tantus dedecoratur honor.
Massiliam effugi, nec non Socia agmina turba,
Et deuitaui commoda mille domus,
Tutior est portus quàm peruia marmora ventis,
Tutius hospitium sic loca sola ferunt.
Tecta nocent Vrbis, prosunt spelæa ferarum,
Reddidit hæc inter me mihi Christus Amans:
Experta mihi crede, Soror, per inhospita tesqua,
Ire via ad Cælum liberiore datur,
Huc Diuinus Amor languentem vulnere Christi
Transtulit, & pauidos iussit abire metus:
Ille mihi, triginta, ait, hic expleueris annos,
Vt plores vitæ tempora prisca tuæ,
Hic tibi dulcis erit fletus, nam gaudia Cælum
Miscebit; vix hæc cùm tulit inde pedem.
Tum me collegi, & volui, velut excita somno,
Huc illuc oculos obstupefacta meos,
Vndique montanas abrupto tramite rupes,
Et loca conspicio vix adeunda feris,
Saxa rigent volucrum tenebrosa cubilia, quorum
Æmulus est Cælo conspiciendus apex,
Cernitur hic tectum nullum, magalia nulla,
Et nusquam humani signa relicta pedis,
Hic rari apparent frutices viridantibus herbis,
Raráque vulgari cespite terra viret;
Hirsuti vepres & amantes ardua dumi,
Creber & in siluam se paliûrus agit;
Lumina quærebant quà sedem ponere possem;
Luminibus patuit cæca cauerna meis:
Acta Deo, horriferos aditus animosa subiui,
Et lapis, aspicio, nil nisi nudus erat,
Dum verso per vasta oculos penetralia saxi,

Non

Non fugit aſpectum frigida lympha meum:
Pura per abruptas (viſu mirabile) rupes
Deſilit & rauco murmurat vnda pede;
Humanum non illud opus, ſic credere dignum eſt;
Sed Christi nutu, cuncta mouentis erat :
Illi igitur grates, & grata dulcia terræ
Oſcula, & in latebras talia dicta dedi,
Exoptata mihi ſalue domus hoſpita, ſalue
Plus oculis tellus ſemper amanda meis,
Ad te peccatrix venio, me ſuſcipe ſontem,
Sed quam peccati pœnituiſſe poteſt;
Me tuus hîc horror vocet ad ſuſpiria ſemper,
Semper & ad lacrymas me tua lympha vocet:
Pectoris ipſa mei ſic ſordes eluet vnda,
Horrorésque dabunt lucida regna tui;
Sic mihi ter decies, Soror, hîc effloruit ætas;
Térque mihi decies cana receſſit hyems;
Si quæris quibus in ſtudijs tranſegimus annos,
Dicere quod poſſim eſt, præter amaſſe, nihil,
Vita fuit mea perpetuò dulciſſimus ardor,
Atque ardor ſolus Christus amantis Amans,
O geminæ cordis rutilantia lumina flammæ,
O facies oculis imperioſa meis,
Mille mihi vitæ ſi ſint, tibi mille dediſſem,
Nam quis pro Christo cuncta dediſſe neget?
Si mea ſit tellus, vaſtum mare, ſydera ſi ſint,
Ah tua ſint ſubitò, ſydera, terra, mare;
Quò me raptat amor? tibi ſeruit maxime rerum,
Quicquid habet tellus, quicquid Olympus habet;
Si placet vt longo abſumar patienter amore,
Fiet vt abſumar; te patienter amo,
Longa dies eſt nulla mihi quæ reddat amantem,
Numquam tarda dies, ſi modò læta venit;
Vror vt ardet ager flagranti meſſe per æſtum;
Liquor vt Ætnæa nix reſoluta face;


Dum memini, Soror alma, meæ primordia vitæ,
Vita fuit miseræ cùm mihi Christus amans,
In lacrymas abeo exundantis fluminis instar,
Et mihi dulce queri est, & mihi dulce mori.
Tunc vidi & vixi diuinis ignibus ardens,
Tunc cecidit flammis Magdala prisca nouis,
Ignis & obscœnus diuino victus ab igne,
Deseruit pectus tempus in omne meum,
Et quam perdiderat risus, pretiosa redemit
Ante sacros Domini lacryma fusa pedes:
Abluo dum lacrymis plantas, tergóque capillis,
Tango aram, procul hinc fulmina verte, Pater,
Est clypeus tua progenies adamantinus ægra,
Quo si defendar, fulmina vana cadent,
Haud aliter scopulum prudens complexa marinum,
Cauta minas ponti spernere concha solet.
Quid mea derides lacrymarum flumina Simon?
Cui lacrymor, lacrymas nectaris instar habet;
Funde aliis veteri carchesia plena Falerno,
Nil est quod lacrymis dulcius ille bibat;
Ast cum Caluari occurrit tristissima Imago,
Membra rigent Getica frigidiora niue,
Tum Christi aspicio moribundos lumine vultus,
Tum sine vel sensu, vel sine mente feror,
Scinditur heu templi velum, scinduntur vbiq;
Marmora, Naturæ iura soluta cadunt.
Mergitur heu tenebris rutilo dux lucis ab axe,
Antiquúmque timent impia secla Chaos;
Totus Amans vulnus cùm sit, grauiora reposcit,
Fortiter atque ferens plurima, plura sitit:
Matris & amplexor frigentia membra dolore,
Cúmque cadente cado, cumq; gemente gemo,
Impia si pectus cuspis transfigit Amantis,
Transadige exclamo cuspis iniqua meum,
Quò Longine fugis? sceleratum comprime ferrum,
Nullus

Nullus in extincto corpore sensus inest:
Sensus abest, Christi at nūmquam demortua Virtus,
Lumen aues, facto ex vulnere lumen habes;
Currite mortales, vestra patet vnda saluti,
Accelerate citos, dum datur hora, pedes.
Nec procul hinc Tumulū mœrēs complector Amātis,
Attamen in Tumulo est, quo leuer ægra, nihil.
Forma iterum ludit ficta sub Imagine vultus,
Factus & est olitor, qui mihi Christus adest.
Dic vbi, dic olitor, tandem sit corpus Amantis,
Ardor inaccessum nil sinet esse meus,
Fortis amor meus est, forti nihil obstat amori,
Illi dant flammæ, dant fera tela locum,
Per mare, per terras violentáque flumina, curram;
Det mare, dent fluuij, det mihi terra viam,
Nec furor hostilis gressus tardabit amantis,
Quam compellit Amor, nil trepidanter agit;
Si qua tibi est pietas, ablatum redde, nec ægram
Intempestiua lentiùs vre mora,
Vel me ne saltem cæles qua parte quiescat,
Vt clamem, meus est, injiciámque manum:
Mox Deus ecce Deus consolaturus amantem;
Sed mihi tangendos denegat ille pedes;
Cur me Christe rapis, mihi dum te subtrahis vltrò?
Et te prensuram cur procul esse iubes?
Victor amat laurum, cognoscit Nauita portum,
Tu mihi laurus ades, tu mihi portus ades;
Ludis an illudis quæ te suspirat ademptum?
O facies superis iurè fruenda choris;
Post mandata meos abiens deludit amores,
Tum clamo, sine me, me sine Christe fugis?
Sic ego dum recolo transacta tempora vitæ,
Me mihi restituit Christus, & ille rapit;
Fert tellus herbas, per rupem labitur vnda,
Herba mihi cibus est, potus & vnda mihi;

Non

Non me terret hyems canis hirsuta capillis,
Non Boreas, rabies non metuenda Noti,
Seu feruescentes incendat Sirius agros,
Seu Pater Autumnus mitia poma ferat,
Seu Ver pingat humum nitidam fulgentibus herbis,
Non oculos species attrahit vlla meos:
Dum teneat mea mens Christum quem deperit vnũ,
Cætera vilescunt qualiacunque mihi;
Tristis hyems mihi Ver placidũ nitet auspice Christo,
Auspice non Christo est Ver mihi Tristis hyems,
Cui toto vt famuler fortissima pectore, nullis
Est noster curis impediendus amor;
Exiguam poscunt si languida membra quietem,
Appositóque cadunt vix releuanda cibo.
Hac ego, cùm dixi, Cælestes itur ad arces,
Hac sibi poscit Amans, fortiter illa valent:
Quid non Diuini vis feruida possit Amoris?
Qui creat arbitrio cuncta regitque suo?
Cui semel addictum qui se subiecit amanter
Ille sui debet iuris habere nihil,
Hunc colo & huic famulor victricia signa gerenti,
Victerémque sequor facta rapina meum,
Et quo me vinclis, quo flammis acriùs vrit,
Sunt magis & flamma & vincula cara magis:
Hic finis, nam finis adest, Soror optima, vitæ:
Me superum tandem Rector ad astra vocat,
Si celeras vises viuentem; tarda, sepultam;
Tarda veni, vt paruo carmine saxa notes;
Peccatrix iacet hic Solymis celeberrima terris,
Quam sua perdiderat culpa, beauit Amor.

Anasta



Anaſtaſia Chryſogono S. D.

VII.

TE ſaluere iubet Fauſta iam Filia, dulcis
O Pater , ô Votis aura ſecunda meis,
Alloquium nobis prohibet gratiſſima cauſa,
Clauſum pro Chriſto carcer vtrumque tenet.
Nec ſatis eſt carcer, ferro mea colla premuntur,
Atque manus manicis compedibúſque pedes;
Hoc quoque quod ſcribam vix ſuſtinet ipſa catena,
Cogit Amor, vinci neſcius vnus Amor;
Iam minuit bis pura ſuos totidémque repleuit
Luna orbes, ex quo corpora vincla terunt:
Nec mihi poſſe datur vili procumbere terra,
Eſt adeò anguſtus carceris iſte locus,
Sic macie turpiq; ſitu latiſſima vexor,
Illuuiéſque artus paſcit iniqua meos;
Sic abijt mihi contemptus flos ille Iuuentæ,
Et quæ tingebat purpura rubra genas:
Tam malè quæ potuit diro placuiſſe Marito,
Qui mihi molitur nocte dieq; necem;
Hûc tacito fors heſterna pede luce recurrit,
Poſſet vt in noſtris me reperire ſacris;
Repperit, & flexis genibus de more precantem,
Illum cui ſoli me placuiſſe iuuat;
Ceu lupus in viſam ſubitò ruit efferus Agnam,
Quam cuſtoditam mœnia nulla tenent,
Improbus aggreditur tollentem lumina ad aſtra,
Lumina namq; arcent ferrea vincla manus,
Hûc illûc rabioſus agit, tundit que feritq;,
Experiens vires in mea damna ſuas,

Appren


Apprendénſque comam, læua de fronte reuellit,
Et dextra gaudet diſſecuiſſe genas,
Vndiq; liuor habet corpus, fluit vndiq; ſanguis,
Exaniméſque artus plurima plaga facit:
Tum cecidi, & ſacrum moribundo nomen Ieſu
Ore voco, Chriſti Nomen in ore meo eſt:
Pro furor, immunem potui ſatiaſſe Tyrannum,
In lacero tantus corpore vbique cruor:
Impia verberibus quoq; verba adiunxit, & auſus
Opprobrijs ſuperùm ſollicitare Patrem;
Et me veſanam tumido vocat ore, Iouiq;
Inuiſum monſtrum Tartareúmq; caput;
Haud me prima latent odij mala ſemina iniqui,
Præcipitémque Virum qui furor intus agat;
Ex quo non potuit noſtrum violare pudorem,
Sacratumq; Deo contemerare decus:
Sum rea, ſum demens, demens dum dicar Ieſu,
Quem veneror, quàm ſim, ſtultior eſſe velim:
Præſtitit ille mihi robur viréſque ſecundas,
In longum vt traherem turpia vota Viri;
Nam quoties auſus, toties ego cauta negaui,
Inq; nouas cauſas ingenioſa fui:
Intima nunc ſimulans vri præcordia febre,
Appoſui Tyrio languida membra toro;
Nunc rapidos æſtus capitis varióſque dolores;
Sic non membra quies, non iuuat ora cibus:
Hæc tamen agnouit, cupidum quis fallat Amantem,
Aures cui mille, & lumina mille patent?
Tum patuit quicquid fictè mens geſſerat vltrò,
Sæpius & Chriſti diſſimulatus Amor,
Nec mora, Getulis veluti leo Pœnus arenis
Sæuit & horrendos rumpit ab ore ſonos,
Dulcia ni placeant, meritò tibi amara parentur
O peſtis magno pernicioſa Ioui:
Sic ait, & nigro claudi me carcere mandat

Mors

Mors vbi me serò per mala longa necet;
Quódque mea torquet misere magis intima mentis,
Perditus ille meas depopulatur opes,
Queisq; libens Christi iam consolabar egenos,
Nequitiæ socios roborat iste suæ;
Certatímque meo bacchatur in ære caterua,
Meq; inter fatuam pocula plena vocant;
Sic bona quæ Christi debebat pauper habere,
Cuncta suo arbitrio barbarus hostis habet.
Hæc mihi perpetuò pectus fera vulnera vexant,
Sim mendax quæ si fortè negare velim;
His superadde Patris sæuissima iurgia, Natæ, est
Si Pater ille, necem qui parat vsque suæ;
Hic vultu ferus, & ferro metuendus acuto,
Soluere vult vitam, quam dedit ille mihi;
Soluerit ille licèt præsentem, haud auferet vnquam
Quam mea mens vitæ spem melioris habet;
Hanc mihi firmauit teneris carissima ab annis,
Quæ fruitur superum regna beata Parens;
Illa salutifera vix natam perluit vnda;
O mihi fausta dies, ô celebranda dies,
Nomine tunc Trino Vncq; in sua vota vocato
Filia te, dixit, mancipat ipse Deus,
Et me paulatim docuit crescentibus annis,
Vim nullam & nullum robur inesse Ioui,
Pallada Mauortemq; & dirum in prælia Phœbum,
Iunonem & Venerem numina falsa coli,
Quos hominum fecit scelerata licentia Diuos,
Vt posset vitijs incubuisse suis;
Ast vnum esse Deum, è nihilo qui cuncta creauit,
Cui paret quicquid Phœbus vterq; videt;
Curia Cælicolûm ordinibus distincta nouenis
Quem timet, & meritis laudibus apta colit:
Multáque præterea doctus quæ deinde probasti
Certa, & fulgenti lucidiora die:

Illa

Illa mihi ſapiens pectus mentemq́; dederunt
Nam mihi mente prius corpus inane fuit,
Hæc eadem præſtant vires ad cœpta ſecundas,
Et Deus in cœptis auxiliatur Amans;
Cui mihi dum videor ſublimi mente tenaces
Amplexus mille atque oſcula mille dare,
Quicquid perpetior dulce eſt & amabile, Amanti
Præbet amans firmum robur & arma ſua.
Hic furijs coniux agitate, cibúmque torúmque
Subtrahe, nam cibus eſt, eſt Deus ipſe Torus,
Dummodo & huic placeã, circum mea colla catenæ
Ite mihi, ſola hæc aurea vincla puto;
Vos pretioſa datis vinctum mihi vincula Amantẽ,
Æthereum cuius Nectar ab ore fluit;
Candidus atque rubens ille eſt, quem cana colorem
Purpureis referunt Lilia mista roſis,
Eſt mihi virgineus candor, cruor ipſe rubebit,
Vt placeam Chriſto, tela Tyranne moue;
Quo duce per rapidos ignes, per tela, per hoſtes,
Iuuerit aligeros accelerare pedes,
Is prunas facit eſſe roſas; is victor acutos
Contundit gladios, dilaniátque rotas,
Ignis ſi moueat, ſtrictos ſeu Publius enſes,
Viuet in igne Deus, viuet in enſe Deus;
Et priùs abſciſſa caput hoc ceruice recedet,
Quàm noſtro illius pectore cedat amor,
Intus amor Chriſti regnet, populétque medullas,
Vt iaciant hoſtes irrita tela mei;
Tu tamen ô ſuperûm Patriæ gratiſſimus Heros,
Curarum requies conſiliúmque mihi,
Funde preces & vota Deo, qui numine dextro
Præſtet opem famulæ, præſtet & arma ſua,
Vt referam innumero claros ex hoſte Triumphos,
Et vincam multos ſola puella Viros.
Scribere plura libet, ſed dextera laſſa catenis,
Hic finem ſtatuit; ſeruet vtrumque Deus.



Pius Adolescens Dominicanam Familiam ingressus, Amico suo. S. D.

VIII.

QVod petij repeto, carum vt comiteris amantem,
Quáque viâ incessi, sedulus ire pares;
Hoc vnum tibi noster amor modò postulat, vt quos
Vna fides iunxit, claudat & vna domus,
Non rapidum iubeo remis te findere marmor,
Non precor Ægæos te superare sinus,
Quod cupio iubeóque, humilis tibi vita futura est,
Est Deus ipsa salus, est Deus omne bonum,
Hic te solus amat, vocat hic te solus amantem:
Cernis vt ex alto stipite multa gemat?
Te gemit & queritur rigeas quòd durior ære,
Surdior & scopulis asperiorque feris;
Aspicis vt misero dexter tibi brachia pandat,
Brachia quæ roseis fluctibus vsque madent?
Hic mihi præcipiens dubitanti scribere, dixit,
Scribe, tuis precibus ferreus ille cadet,
O vtinam nostris tua mens respondeat ausis,
Si tibi mens fuerit dextera, victor ero;
Sed caue ne demens aliquo capiaris ab hamo,
In te tres hostes fortia tela gerunt,
Qui vigilem vincunt Argum, centúmque figuris
Protea, nec cedunt magne Acheloë tibi,
Diuitiæ sunt, tela quibus fera prælia tentant,
Diuitiæ Stygij spicula sæua Ducis;
Callidus est nimiùm, nimiùm valet arte nocendi,
Mille nouat vultus, corpora mille nouat;
Quà tendat prædæ securus retia vidit,
Non prodesse solet, semper obesse solet.

Qualis

Qualis in optatum cùm venit nauita portum,
Scit rabidi vires enumerare maris:
Expertus fateor, meritò mihi crede monenti,
Thessala sub dulci melle venena latent.
Heu vereor, quid enim nos non vereamur amantes?
Ne sis fortunæ captus amore tuæ:
Hac trepidum me cura premit noctuque diuque:
Diuitias aufer, iam meus esse potes;
Fallor an has torua percurris fronte tabellas,
Despicis & surdus iussa precesq; meas?
Crimine quo fieri merui tibi vilior alga?
Sit scelus hoc nostrum, semper amasse nimis:
Tu mihi Luca aderas solers hortator vbique,
Tu mihi præceptor, tu mihi frater eras;
Tangentem portum subitò aspernare sodalem?
I nunc, & veri nomen amantis habe:
Non dicendus amans sequitur qui lentus amorem,
Tu teris ignauas falso in amore moras;
Plura tibi scripturus eram, sed scribere plura,
Salsa negat vultum quæ rigat vnda meum,
Ast tibi si placeat mandata capessere amantu,
Protinus aufugiens arripe victor iter.

Ascanio Pessio Viro Doctissimo
Guido Vanninius S.D.
IX.

Qvam legis à charo tibi venit Epistola Amico,
Qui sit, iampridem cognita Musa docet,
Cognita Musa tibi est, Pessi, tu cognitus illi,
Nam veluti Patrem te colit ipsa suum.
Iam minuit fugitiua quater sua cornua Luna,
Expleuit totidem luce repentè noua,
Ex quo te strepitus Vrbis curásque perosum,
Vsque tuis oculis Villa cupita tenet,
Villa tui requies animi, tua sola voluptas,
Iam studijs meritò facta superba tuis:

E *Fundi*

Funditus ah quoties mersum ciuilibus vndis
Aspectu potuit te recreasse suo;
Ah quoties vbi nulla malis erat apta medela,
Illa suo Domino sola medela fuit?
Illic pacati vernat clementia Cali,
Dum procul aduersi ventus & vnda tonant;
Quin virgulta nouo pubescunt horrida fœtu,
Dum grauido Zephyrus rore maritat humum,
Quódque tuis equidem noui magis vtile votis,
Regnat ibi multo fœnore parta quies;
Illa diu quæsita fuit tibi, maxime rerum,
Sed numquam est oculis obuia facta tuis.
Cùm vires mirata tui motúsque calentes
Ingenij, fouit Martia Roma sinu,
Tum Virtus tua conspicuo spectata Theatro,
Luxit vt à ventis concita flamma solet:
Quæ non cura fuit menti commissa fideli?
Quæ non præclarè cura peracta fuit?
Sunt Vaticani testes penetralia collis,
Et Capitolini culmina magna iugi,
Secla futura canent, meritis non inuida, laudes
Quas Pessi peperit plurima Musa tibi:
Nam tibi seu placeat violenta Tragœdia, sæua
Melpomenes longo Syrmate digna tonas:
Siue velis animum cura grauiore leuari,
Mille tua miscet voce Thalia iocos,
Hæc requies præstat dulci qua rure potiris;
O requies, votis mille petita meis:
O te felicem fortunatúmque quieto
Cui natat in portu nescia cymba metus:
Te placidis tua rura tenent gratissima Musis,
Me grauibus curis Vrbs agitata tenet;
Tu potis in lecto securos carpere somnos,
At tempestiua membra leuare dape,
Plurima cura mihi noctes negat ire quietas,
Et se cum dapibus miscet vbiq; meis.

O pereat quantum potius tegit inuida tellus
Auri, quàm vitam sic abijsse grauem;
Quid iuuat heu partis opibus superaddere plures,
Si citiùs curis mors properata ruit?
Iro pauperior malim traducere soles,
Vernantes rumpat quàm mihi parca dies;
Calliope potiùs mihi det bene viuere paruo,
Et colere angusto tecta paterna lare ,
Sobria secura soluam ieiunia mensa,
Mensa erit exilis, sed tamen apta mihi.
Hic ego contemnam fœlix ignobile vulgus,
Quasq; refert Indis extera nauis opes:
Tuta quies paucos nouit, nam limina magna
Odit,& angustas intrat amica fores.
Hæc video meliora, tamen crudelibus actus
Fluctibus huc illuc,deteriora sequor;
Otia non aliter Patriæ suspirat amata,
Vulnera dum miles densa per arma subit:
Otia sic pelago deprensus Nauita poscit,
Perditus inuito dum bibit ore necem;
Ergo potire bonis tibi,quæ dedit inclyta Virtus,
Et bonus à superis fausta precare mihi.

Cæsari Amico suo.S.

X.

QVis te flere iubet raptum mihi Cæsar amicum?
Te Dominum raptum quis mihi flere iubet?
Ite triumphales elegi,procul ite,carina
Non natat in pelago flamine vecta suo;
Vos decet heu laceros humili procedere vultu,
Vos incomposita nunc decet ire coma,
Excidimus longùm mœstas iterare querelas;
Plena querelarum vita futura mea est;
Este procul risus, cantus procul este iocosi,
Nam procul est,risus qui mihi causa fuit.
Lætitiæ iam causa fuit,nunc causa doloris,

Illius haud culpa est;me periisse,mea est:
Huc commissorum scelerum Rhamnusia vindex,
Anguibus huc celera concomitata tuis,
Huc quoque noctē sata,Cocytia turba,sorores,
Sistite,& ingratum sollicitate caput;
Quò rapior demens? quis me mihi surripit error?
Quæ precor ipse,pati non pateretur amans;
Non inimicus adest,sed adest mihi Cæsar amicus:
O vtinam fœlix exitus acta probet:
Irrita non capient rapidæ mea vota procellæ,
Nec vaga Lethæis mersa dabuntur aquis,
Illum nam Scythicæ non lactauere Leænæ,
Fortia nec ferri femina vultus habet;
Sed mite ingenium faciléque in pectore sensus,
Luminaq; æthereis inuidiosa locis;
Hic mihi væ misero vexat dolor ossa,cadénsque
Insolito mea mens icta dolore timet.
Nescio quid timeat,sed amans timet omnia:amantū
Innumeras curas quis numerare queat?
Sydera non tot habet Cælum,non littus arenas,
Quot curas nostro in pectore versat amor;
Si tacet ille,ferunt taciturna silentia curas;
Si secum doleat, me premit ille dolor;
Tellurem fixo dum lustrat lumine,nostrum
Haud reor aspectum lumina posse pati;
Nigra meæ rumpant vitæ stamina Parcæ,
Duritiem credam me superasse tuam;
Et quoniam nostrum pergis contemnere amorem,
Emoriar, facile est mortis inire vias.
At licèt Hyrcanas vincas feritate leænas,
Ante meum funus lumina victa dabis;
Tum cupies adigi tenebrosi ad tartara Ditis,
Tum cupies missi fulminis igne peti,
Post obitum meritò cedunt odia aspera,& amplas
Funeris exequias hostis ab hoste capit;
Funere in Annonis lacrymis labentibus, ipsum

Corne

Cornelium fama est ora rigasse sua.
Quid vera Antigoni referam pietatis amorem,
Dum vidit bustum Pyrrhe superbe tuum?
Cæsareum tu nomen habes, imitare benignos
Cæsaris & mores, nomina cuius habes:
Cæsareæ proprium hoc laudis, bona cætera fortis:
Qui se non, victor, vicerit, esse potest?
Diuitijs impar sed non in amore secundus
Semper ero, iubeas quæ facienda mihi:
Si satis est nostros animos pressisse precantem,
Excipe qui amplexus appetit vsque tuos,
Sub pedibus satis est hostem prostrasse Leoni;
Nobilis haud vltrà præterit ira feræ.
Sint procul hinc lites, procul hinc sint iurgia, sanctæ
In terris pacis mox Deus auctor erit.




In Die Natali Domini.

X I.

INduit humanos summus Deus, induit artus:
Ad stabulum superûm candida turba veni:
Læta veni, liquidum celebrans per inane choreas,
Nulla dies nocte hac clarior esse potest;
Nox est, sed niueo meritò signanda lapillo,
Nox est, sed tenebras protenus illa fugat,
Terrarum quicquid vastus complectitur Orbis,
Sollicitos iubeat longiùs ire metus.
Quis metus esse potest, Cælo dum lapsus ab alto,
Ipse Deus pacis fœdera portat amans?
Pignus adest pacis, pacis sunt omnia plena;
Bella procul, Bellis non nitet apta dies;
Sat furiata trahens centum Discordia rixas,
Bellorum toto fouit in Orbe faces,
Auferat atra faces, noua fax iam luxit Olympo,
Omnes quæ terras vna beare potest;
Diuini fax ipse Deus, fax viuida amoris:

Cedite mortales, victus amore Deus;
Vicit amor: quis enim sacro ferus obstet amori?
Gloria sub tanto est occubuisse Duce;
Vincere si cupias, cedens vincaris oportet:
Cede illi, victus sic tibi victor eris:
Qui Superos nutu terret, qui territat Orcum,
Perstat, in exiguo maximus Orbe Deus,
Perstat & humanas clades miseratus, acerbæ
Fortunæ consors incipit esse Virûm;
Nam iacet in stabulo, Cælum cui Patria sedes;
Nudus, qui terræ condidit Orbis opes:
Ad dextram submissa genu nitet inclyta Virgo,
Luminaq; in proprio Pignore fixa tenet;
Miratur faciem, nitidos miratur ocellos,
Qui superant radios Phœbe superbe tuos;
Gaudet ob immensum regalis frontis honorem,
Qua superûm cœtus in sua vota trahit;
Sed gaudens mœret, mœrendo gaudet, & infans
Sic est lætitiæ causa, doloris hyems;
O fœlix stabulum, fœlices semper aristæ,
Quæ puerum paruo continuere sinu:
Tunc ego vos credam solitum posuisse rigorem,
Mollius & plumis membra tulisse Dei.
Diuitias alius per aperta pericula mortis
Quæritet, atque opibus sedulus addat opes;
Atria Tænarijs alius digesta columnis
Condat, & ingenti construat arte domum,
Dum possim me Christe tuis aduoluere cunis,
Hæ mihi opes fuerint, hæ mihi magna domus;
Omnia rura mihi vilescant, India quicquid
Gemmarum aut auri Lydius amnis habet;
Tu solum me Christe potes ditare; palustri
Sis licèt in stabulo gramineóque toro,
Dum te concomiter, populo sim vilior Alga,
Dummodo sim tecum, stultus inérsque vocer;
Me Diuinus Amor diuino vulneret ictu,

Illa meis plagis plaga salubris erit
Sic auo fœlix potiar meliore, meaque
Principium vitæ sic tuus ORTVS *erit.*



In obitum Ioannis Baptistæ Cardinalis Castruccij ROSAE.

XII.

NOx *erat, & medius noctis se verterat axis,*
Altáque fulgentes Luna regebat equos;
Nec mea sopierat languentia lumina somnus,
Curarum domitor somnus, & vna quies,
Luxit ab aurata cùm tandem Phosphoros Ida,
Optatus clausit lumina fessa sopor.
Ecce meos nitet ante oculos pulcherrimus hortus,
Cuius ver nitidas multiplicabat opes.
Ars illudebat Naturæ, Gratia summæ
Arti, Ars Naturæ sed tamen apta fuit,
Purpureis hic Flora suis comitata Ministris,
Texebat nitidæ plurima serta comæ,
Hanc iuxta veteres Philomela oblita querelas,
Fundebat liquido gutture dulce melos;
Quin Zephyrus placidi Proles castissima Veris,
Hunc sibi præcipua struxerat arte locum;
Ast horti in medio celeri per gramina lapsu,
Suaue sonans pura riuulus ibat aqua;
Riuulus ille olim, magna verùm auctus aquarum
Vi, subitò parui fluminis instar erat:
Hoc medium Rosa verna duplex complexa tenebat,
Eheu queis spinis mox peritura Rosa;
Hæc gemmantis erant fœlicia sidera agelli,
His benè vernabat quicquid habebat humus:
Proxima cana rosis surgebant lilia semper,
Obsequium nitidis exhibitura Rosis:
Nec procul aspexi tendentem vertice ad astra
PINVM, *quæ plantis semper amica fuit;*

Quam circum varij fœlici è semine flores,
Certabant grauidos læti aperire sinus:
Hanc ego mirabar terno cum lumine, terna
Sidera visa oculis sunt prope adesse meis:
Agnoui Patrui generosa insignia nostri,
Quo duce Castalios iuuit adire choros,
Illa rosas vidi circum ludentia Phœben
Astrorum vt circum candida turba micat,
Hanc mihi miranti, visa est noua surgere luna,
Atque horti medium se posuisse super:
Diues erat lucis, sed quantum Cynthia Soli,
Tantum cedebat splendida luna rosis;
Omnia solerti scrutabar lumine, quando
Phœbo oculos tenuit laurus amica meos;
Hæc humiles inter frutices vernabat, & ipsas
Læta videbatur condecorare Rosas;
Non illo quicquam visum est formosius Horto,
Tollat ad astra licèt Pulcra Arethusa suos:
Fortunatus erat plantis fœlicibus auctus,
Stellis fulgescens alter Olympus erat;
His animaduersis ferali gutture bubo
Hunc circum Stygios visa dedisse sonos,
Nil floret mortale diu; sensere volucres
Lethales gemitus omina dira rosæ;
Nam pulcra tinxêre sacros ferrugine vultus,
Vultus qui Lucæ lux quoque nuper erat:
Tum Zephyro cedente Notus surrexit, & ingens
Reddidit heu flumen qui modò riuus, erat.
Nubibus obduxit faciem noua Cynthia multo
Crediderimque suas rore notasse genas;
Sidera quin terna modò fulgescentia luce
Sanguinea subitò sunt cooperta face:
Lilia mista rosis nigrum traxere colorem,
Visáque languidulas deposuisse comas:
Tum Pinum speciem credam sumpsisse Cupressi,
Posset vt exequias sic coluisse Rosæ,

Ramus Apollineus violenti fulminis expers,
Occubuit, subito tactus ab igne, solo:
Vix ea; cùm mœstum læta caput inflectentes
Luctibus in medijs occubuêre rosæ.
Obstupui, florúmque vicem lugere parabam,
Cùm me destituit sana repentè quies.



In obitum eiusdem.

XIII.

QVid iuuat excelsis ædes fabricare columnis,
Quæ superent fastus barbara Memphi tuos?
Auri quid miseris pondus mortalibus, & quid
In domibus nemorum frondea sylua iuuat?
Aurifero nitidam frontem vincire galero,
Et saturas Tyrio murice habere Togas?
Heu propior mors atra venit, non passibus æquis
Omnia sub proprio tempora iure tenens;
Illa Noto citior rapidis velocior Euris
Aduolat, & gressus præuidet vsque tuos;
Mortuus ecce iacet nostri Castruccius ingens
Nominis auxilium, Romulidûmque decus,
Heu iacet ille viri vultus generosaq; forma,
Quæ rariæ semper moribus apta fuit:
Illa fuit Patriæ dum luxit lucifer, at nunc
Hesperus est Patriæ facta repentè suæ;
Vndiq; plangores resonant, sonat vndiq; fletus,
Vna omnes summi causa doloris agit.
Flent pueri, Iuuenésque gemunt, mœrétque senatus,
Ipsáque Luca parens exanimata iacet.
Sic Niobe, si ficta licet componere veris,
Diriguit Natis iam viduata suis;
Venturos auido voluebat pectore honores,
Votaq; sub tacita mente fouebat amans:
Illius optabat triplici Diademate frontem

Cingere, & ad Petri dicere limen, io;
Spes abiere, manet funus tibi semper acerbum,
Funus honorandum tempus in omne tibi,
Hoc omen fecère rosæ, quæ manè rubescunt,
Et subitò tristes nocte cadente cadunt.
Hanc portendebas gliscens maris vnda ruinam,
Vnda nimis Domino perniciosa tuo;
Nunc ferrugineo vultum rosa velat amictu,
Et queritur Domini subsequitúrque vicem;
Dicite Lucenses lugubria carmina Vates,
Iam cecidit vester qui modò Phœbus erat.
Nunc impelle tuum Belisari pollice plectrum,
Nam res est plectri digna fauore tui,
Non rudæ mœstitiæ est, didicit lacrymabile carmen
Fundere, cùm luxit Nestora Parma suum;
Pastoris Siculi sub flauis Auxeris vndis
Bendinelle aptos emodulare sonos,
Tuq; animi pars magna mei Barsotte, dolentes
Versibus vsque tuis has comitare notas:
Solue tuam citharam, & digitis resonantibus, Eheu
Respondent citharæ candida fila tuæ;
Aonio si fortè placet tibi fidere plectro,
Funereos referant plectra sonora modos;
Seu patrio malis cultam sermone camœnam
Prodere, perpetuò tristè Camœna gemat.
Vnum coniunctos fulmen nos perdidit ambos,
Diraq; mors miseros perdidit vna duos;
Mors mihi crudelis, Domini quid strage triumphas?
Non moritur Virtus quem pretiosa beat;
Cur te vana effers; totum sibi vinxerit Orbem
Qui meritis, vnquam, non potis ille mori.
Sed tamen ecce iacet nobis Castruccius, eheu,
Quod vix crediderim, mortuus ecce iacet;
Visa sibi quondam fœlix mea laurus, opimis
Ingemit orba suis facta repentè comis;
Hæc olim terras æquo plus horruit audax,

Dum

Dum freta auspiciis tendit ad astra tuis:
Nam terquinque suos Titan expleuerat Orbes,
Ex quo Natalis lux celebrata mei est;
Romanus patuit mihi te auditore Senatus,
Romáq; me Ciuem legit amica suum,
Tunc inter Latia fœlicia semina Pubis,
Quod rarum, adscriptus te auxiliante fui;
Me varijs operam studiis, te sospite dantem
Hic effata gelu septima vidit hyems.
Tum didici ad citharam lætos effundere cantus,
Sed cithara in luctum versa repentè mea.
Nunc ego quid possim? nulli mors ferrea parcit,
Vndiq; sed cæcis cæca triumphat equis;
Interea nostri monimentum & pignus amoris,
Hoc carmen Tumuli fronte superstes erit,
Clauditur hoc Pario Castrucci Marmore Corpus,
Quaq; sibi meruit, Spiritus astra tenet.

In obitum Æneæ Vizani Bononiensis Physici Præstantissimi.

XIV.

FRana remittantur lacrymis, Vizanus in vrna
Clauditur, & secum gaudia nostra tulit.
Ille salus Patriæ, sacri Latoidos ingens
Et decus & columen, mortuus ecce iacet?
Aret & eloquij flumen? pallescit & oris
Maiestas superis inuidiosa locis?
Dextera frigescit nullo defessa labore?
Ah tantùm licuit mors inimica tibi?
Aspice Phene pater dilecti funera Nati,
Aspice, & heu luctus testificare tuos,
Vndis adde vndas, & vincla tenacia frange:
Accola sic lacrymas has probet esse tuas,

Tu quoque formosos laniata Bononia crines,
Effer porticibus frigida facta caput:
Funus adest, modò pignus erat, redimita cupressu,
Mœsta decent mœstam, tempora vincta gere,
Et tenebris adoperta sinus testare dolores,
Nam iacet extinctus qui tibi lumen erat.
En Deus herbarum cui vasta potentia seruit,
Deposuit nitidis laurea serta comis;
Euersamq; gerit pharetram, citharámque tacentem,
Dum deflet Prolis tristia fata suæ;
Arcadicis olim Cynosuris talia passus
Fertur, cùm lacrymis intumuêre genæ,
Aonides circa tumulum sacra turba sorores,
Heu frustra, à teneris quem coluêre, vocant;
Stemma domus fausta, vitis fœcunda racemos
Perdidit, & subito turbine fracta iacet;
Sic aret quæ vita priùs fuit omnibus, ausa
Mors deplorandum tempus in omne nefas.
Illa tibi Persi rerum doctissime vitæ
Vitis erat, Siculis dulcior vna fauis;
Perpetuum dabat Autumnum, tibi perpetuum Ver,
Nunc tristes hyemes nocte dieq; refert,
Solueris in lacrymas raptum dum quæris amicum;
Æneam lacrymæ nec reuocare queunt;
Et meritò Æneam Ascanius lacrymatur adēptum,
Vinctus amicitia cui Patris instar erat;
Ac Damon fuit ille tibi, tibi Castor, vbique
Rebus in aduersis Peirithousq; fuit:
Idq; adeò populus norat, præcedere fœdus
Dignus Oresteum vester vt esset amor;
Abscidit heu longas non auditura querelas
Fœdera, mors nullo deperitura die.
Parua quidem Persi sauo hæc medicina dolori,
Sed desiderio sola relicta tuo;
Vt tumulum facias, & paruo carmine signes,
Quod permansurum secla futura legant:

Hic

Hic pius Æneas situs est Vizanus, amicum
Persius aeternum quem gemet vsque suum.



In obitum Cardinalis Bonuisij,

XV.

Bonuisius fletur, crines redimita cupresso,
Huc ades ad mœstos Musa rogata sonos,
Illius en funus quem tu laudare solebas,
Materia vires exuperante tuas;
Ergo faue lacrymis, tristes nam lumina saepe
Ad lacrymas casus erudiere mea,
Sed non vlla fuit maior mihi causa dolendi;
Hac vna hac alijs praeualuisse potest;
Ille fuit mihi nam teneris hortator ab annis,
Ille mihi adiutor, Phœbus & ille fuit;
Ah quoties fesso tendenti per iuga Pindi,
Arduaperfer, ait: mox meminisse iuuet;
Nunc iuuat exhausti series immensa laboris,
At grauiter tecum non obijsse dolet.
Errat in infido deprensus Nauita ponto,
Ni doceant dubias sydera certa vias:
Sic Gentile tuum sydus dum fulsit, iniquos
Nec timui scopulos, nec vada caeca maris:
Funereus diro rubuit sed crine Cometes,
Me miserum, terris funera quanta ferens;
En nimium iam Turcarum vicina Tyranno,
Te desolati Pannonis ora gemit,
Quae sensit miseranda sibi tua sidera fausta,
Et dextrae certam pressa ferentis opem,
Si tibi tunc placidis Ister caput extulit vndis,
Et vexit festas ambitiosus aquas,
Nunc defrenato rapiatur in aequora cursu,
Nam lacrymis nullum debet habere modum;
Te gemit amissum Vetulonia prisca Parentem,

Maonij

Mæonij quondam Nominis vna decus,
Atque suos fontes largè indignata relaxans,
Sponte sibi exitium noxia facta cupit:
Nam mores experta tuos, experta bonorum
Humanum quicquid pectus habere potest,
Semper & illæsi constantia munera Iuris,
Quæq; tuo magis est sydere clara, fidem,
In Chaos antiquum redituras perdita terras
Iurat, vbi Astræam delituisse videt;
Quam præit in luctu Appulia miserabilis ora,
Aufide siue tua est, Cerbale siue tua,
Cuius ab amplexu, nulli fugienda, Parentem
Abstulit heu subitâ mors truculenta nece;
Quis post hac non deuoueat lethalia Bari
Mania, quæ superi verberat vnda maris?
Quod licèt auersum spectarit funera, causam
Nescio quo pacto funeris illud habet,
Quod potuit nostrum Bonuisum extrema loquentẽ,
Exanimémque suo continuisse sinu.
Sed fortasse, trahis quò me dolor improbe, iuuit
Auspicium cladis sic renouare vetus,
Cum Romano humiles maduerunt sanguine Cãnæ,
Atque omnis bustis luxuriauit humus:
Tum quoque magnanimi potuisti funera Pauli
Cernere, quem Morti noxa aliena dedit.
Finibus ille tuis cecidit, dum pelleret hostes,
Hic te plus æquo, dum tibi viuit, amans:
Ergo sibi vixit minimum, vt tibi viueret, vltrò
Et mortem oppetijt, dum tibi vita foret;
Immemor ah nimiùm Bonuise oblite tuorum,
Ac Patriæ, fœlix quæ tibi Mater erat,
Nunc vultum demissa suum, laniata capillos,
Turpiter infesto dissecat vngue genas;
Atque abit in lacrymas, veluti cùm vere tepente
Liquuntur teneræ per iuga celsa niues,
Et grauidos sæuo questus fundente dolore,

Ad tumulum querula talia voce refert;
Nate mea vires, mea maxima gloria Nate,
Quid loquor? heu Matri nunc leue funus ubi es?
Qui modò tantus eras, tumulo complecteris arcto,
Iam factus miseræ puluis & umbra mihi?
Siccine debebas charæ rediisse Parenti?
Siccine te talem cernere digna fuit.
Cùm primùm Tyrio te vidi in murice, vidi
Mœsta tuum funus perniciémque meam,
Quæque tibi reduci latissima dona parabam,
Vltima sunt tumuli munera facta tibi;
Quos plausus mihi non finxi? quæ gaudia mente,
Gaudia præpetibus diripienda notis?
Mox aderit sacro fœlix spectandus in ostro,
Cui mille amplexus obuia læta dabo,
Oscula mille dabo fœlicia, qualia Nato
Fortunata solet sæpe referre Parens;
Fratribus atque utrumque latus suffulta, gemẽtum
Et consanguineo concomitata Choro,
Dulcia verba feram, meritis præclara rependam
Munera, pro Natis facta beata meis,
Irrita sed miseram spes est frustrata Parentem,
Vanus & heu lusit gaudia mentis Amor;
Nilque aliud mihi posse datur quàm crine soluto
Tristibus iratum Cœlum onerare modis:
Olim nonne satis fuerat mihi turbine sæuo
Mortem purpuream surripuisse Rosam,
Ni furiata suo tetro offudisset amictu.
Sydus magnanimæ fulgida signa domus?
Ast inimica tuos ventosos comprime fastus
Exosum terras sidera sidus amat.

Finis libri tertij.

GVIDO

GVIDONIS VANNINII
I. C. CARMINVM
Liber Quartus.
EPIGRAMMATA
In Amphitheatrum Lucense.
I.

INSPICE quisquis ades Luca hac monumenta Vetusta,
Hec decus Italia suspice quisquis ades.
Amphitheatrales hic vidit Etruria pompas,
Hic cunei, cauea, pegmata, arena fuit:
Hac oluêre croci, cancellos cerne aditusq;,
En per flexiuagas Linea secta vias,
Rumpere liuor edax; semper fuit inclyta LVCA.
Hoc opus antiquas testificatur opes.

De Narsete Eunucho, Iustiniani Imperatoris Maximo Armorũ Præfecto, Obsides remittente, dum Lucam obsidet.

II.

ARma mouens forti pracingis milite Lucam;
Despicit illa metus, despicit illa minas.
Captiua ficta Pubis nece ludis amanter,
Lusa tamen vires vertit ad arma suas.
Restituis Naros obsessis, magnus vt illic
Vis vbi telorum est irrita, vincat amor.
Vicisti Narses rerum fortissime, solùm
Lucenses potis est vincere solus Amor.

In Diem festum sanctissimæ Crucis Lucensibus solemnem.

III.

Ipse Deus, Deus ipse, Crucis de robore pendet,

Robore,

Robore, quod summa est pœna reperta reis.
Quid non possit amor? via nulla est inuia Amanti,
Morte sua turpem sustulit ille notam.
Deuenerare Crucem, mortalis & oscula iunge:
Fecit honoratam mors inhonora Crucem.

In Translationem Virginis S. Vrsulæ sociæ,
Cuius nomen ignoratur.
IV.

DVm iaculo transfixa cadis pro nomine Christi,
Nomen in obscuro deseris ipsa tuum:
Ast quibus in terris, qua tempestate quibusque
Cum socijs obeas, conscia fama refert:
Nota cadis, non iurè cadit notissimus, Orbi
Ignotus, Cælo qui benè notus obit.

De S.Sebastiano.
V.

PRo Christo ad palum dum nudus mēbra Sebastus
Excipit aduerso pectore tela suo,
Iamque horret crebro iaculorum turbine corpus,
Cælum suspiciens talia dicta dedit,
Quæ mora Carnifices? telis superaddite tela,
Vulnera quot facitis, tot mihi ad Astra vias.

In Tyrannum de D.Ioanne Euangelista.
V I.

O Barathri monstrum, quas frustrà concipis iras?
Feruenti en Christi gurgite ludit amans:
Syrius haud aliter terras dum concremat ardor,
Venator gelidi fluminis intrat aquas.
Hunc Diuinus Amor flammis melioribus vrit
Intus, at externas tu violente moues:
Ille animum vicit, tu quæris vincere corpus:
Viuida flamma illa est, mortua flamma tua est.

Philippus

Philippus Rex Hispaniarum II. moriens sic Filium alloquitur.

VII.

HAec tibi Nate tui iam iam morientis habeto
Dicta Patris, nec non pectore conde tuo,
Dicta probet Munus, Christi sit munus Imago,
Hoc meus ad superos iam Pater egit iter,
Hoc opus est vno, tibi sic furor hosticus vltrò
Cedat, sic Victor regna superba premas,
Seu moueant tædas furiæ, siue arma rebelles;
Viuet ab ense Deus, viuet ab igne fides.

De eiusdem obitu ad Ciuitatem Lucensem.

VIII.

SAt fletus Regi mœstissima Luca dedisti,
Luca tuas miserè dilaniata comas,
Iacturam lacrymis satis es testata, nitescunt
Per te centena fulgida busta face:
Sume animos, meritum fortunatissima Regnum
Digna & auo Proles & Patre digna regit.

Ad Alexandrum Cardinalem de Monte alto de suis insignibus.

IX.

MOns Ternus fortisq; Leo, sidúsque coruscum,
Sunt tua Alexãder stemmata clara domus,
Magnanimum Leo præmonstrat te pectus habere,
Quo releuas pressos, vaniloquósque premis,
Spes, Amor, atque Fides, erecto monte notantur:
Stella viam Cœli denotat atque præit,
Sortem extra fatúmque potes traducere vitam:
Astra fauent, Astris dant fera fata locum.

Ad

Ad Ioannem Baptiſtam Caſtruccium Cardinalem, In Chriſti Natalem diem.

X.

ILla dies venit, Luca lux maxima, Princeps,
Munera qua lætus fertque refértque puer:
Donarem pateras baccatáque dona Pyropis;
Aſt quibus indigeo ſunt tibi grata minùs.
Carminibus gaudes, læto cape carmina vultu,
Omnia nam donat, qui bene dat quod habet.

De Nerone è turri ſe præcipitante inſpecto Amantis cadauere.

XI.

DEfunctum vita turri dum ſpectat ab alta
Perdita Leandri corpus amantis amans;
Fertur & in præceps, mors ô te vicimus, inquit:
Nam quos iunxit Amor, tu ſoluiſſe nequis.

De nuptiis S. Anaſtaſiæ Virginis.

XII.

IMpius ad tædas dum te vult cogere coniunx,
Optata Victrix morte Trophæa refers:
Infœlix ſponſa æterno fruitura marito,
Tam malè iuncta viro, quàm benè iuncta Deo.

S. Sympheruſa pro fide moritura, ſuos filios alloquitur.

XIII.

QVa Pater ad ſuperos veſter perrexit, eundum,
Progeniem Victor vos vocat inde ſuam:
Vnanimes ergo moriendo vincite mortem:
Hic periiſſe ſalus, hic cecidiſſe decus,
Sic ſic vincendum Proles fortiſſima, mundo
Nos abiiſſe ſimul, nos obiiſſe ſimul.

Mirare

XIV.

MIrare quicquid noſtra condit garrula,
Fabi Virorum candide,
Camœna, ſiue priſca facta Patriæ,
Nullis tacenda ſæculis,
Animoſa celebrat, ſiue demiſſo ſtylo
Nugas canoras cantitat.
Hoc eſt Amici iudicantis improbè,
Dum ſeſe amore decipi
Permittit; Heroum æmulari gloriam,
Infrenis eſt audacia;
Vterque noſtrum nouit antiquæ decus
Fœlicitatis arduum:
Quam ſi quis vnquam credat aſſequi, Polos
Priùs rotatos comprimat,
Vndaſq; ponti anguſtet exigua manu
Vel vaſta Cæli ſydera.
Satis ſuperq; conſecutus nobilis
Mihi videbor gloriæ,
Noſtros labores eſſe ſi ſors Patriæ
Gratos ſibi fatebitur.

Tumulus Iuris Periti celeberrimi.

XV.

HIc Iuris lampas iacet, hinc remouete querelas,
Et miſeras lacrymas, Vir mulierq; procul,
Si vixit Cælo, & Patriæ vixit, ſibi numquam,
Triſtibus haud vita hæc collacrymanda modis:
Illius querulo condantur funera luctu,
Acta quem vitæ pœnituiſſe poteſt.

De Fabula Dianæ & Actæonis.

XVI.

VLtrices depone minas, moderare furores;
Ira locum menti non ſinit eſſe tuæ:
Si Virgo es, Iuueni mortem molire? quid auſus

Te nudam aspexit, tres docuere Deæ.
Insonti mitis parcas, æstúsque sitísque
Causa fuit, sed non vlla inhonesta Venus.
Quid facis? Actæon (miserum) fit Ceruus, vbiq;
Assueuisse feris te facit esse feram.

In obitum Æneæ Vizani Physici Præstantissimi.

XVII.

MIlle Viros qui iam viuens, à funere traxit
Arte Machaonia, mortuus ecce iacet:
Quam tulerat multis, poterat sibi ferre salutem,
At sapiens, Cœlo viuere præstat, ait.
Mors tacita hæc vita est, viuit cui fama superstes,
Et decus æternum: desinit ille mori.

De Diua Catherina Senensi Christum amplexa.

XVIII.

QVæsitum te Christe meis complector in vlnis,
Me rapiet mihi te qui rapuisse volet,

Emblema in obitum Cardinalis Bonuisij, (Castor & Pollux super nauim in vasto mari ventis agitatam lucentes.)

XIX.

DVm feruet æstus turbidi ex imo maris,
Geruntq; sæuo bella venti turbine,
Naui pauenti ni gemella sydera
Fulsere Cœlo, turbines sæuos timet;
Exue timores Luca quos omnes habes:
En fixa Cœlo gemina lucent Sydera,
Primum, Ioannes; alterum, Bonuisius.

Aliud Emblema.
Lucifer in Cælo ſtellis conſpicuo.
XX.

COnſpicis in rutilo ſplendentia ſydera Cælo,
Queis fulgore ſuo lucifer ipſe præit?
Lucifer hic manè eſt,idem ſed Veſpere Veſper;
Sic noctem ducit,ducit & ille diem;
Haud ſecus è Terris vectus Bonuiſus,Olympo
Lucifer eſt factus,qui modò Veſper erat.

Chriſtus Cruci affixus loquitur.
XXI.

OCcubui morti,poſſes vt viuere,viue
Ergo mortalis,me moriente,mihi.

Ad Caſſandram Coniugem dulciſſimam.
XXII.

PRogredior quocunque,tibi ſum cauſa Timoris,
Seu mihi longa via eſt,ſiue terenda breuis,
Et timor vtriq;eſt, noſtrûm ſic ſemper vtriq;
Nox & amara venit ſic & amara dies :
Cauſa metus diuerſa tamen; me Nominis omen
Terret Caſſandra, te meus angit amor.

De D.Fridiano,Epiſcopo Lucenſi,raſtro Æſarem flumen vertente.
XXIII.

DVm tumido cultus Æſar pede vaſtat agreſtes,
Inuehit & piſces quà modò pauit Ouis,
Vir ſacer inſpiciens,inquit,quid concitus audes?
Effrano iniÿciam fortia fræna tibi;
Sic ait, & raſtro iuſſit parere furentem;
Paruit,& facti eſt indubitata fides.
Diſcite quid poſſint Patriæ Cæleſtis Amantes;
Cuncta regunt verbo quos Deus ipſe regit.

De Balſamo è corpore D.Nicolai emanante.
XXIV.

DVM Patara viuit, Patriæ nitet Vrbis & Orbis,
Rarus honos, vita, moribus, eloquio:
Dum moritur, certóque volans pede ſidera calcat,
Illius è tumulo balſama ſacra fluunt:
Sic meritò vaſti viuens & mortuus Orbis,
Fit Nicolaus honor, ſit Nicolaus odor.

De eodem in Cunis Ieiunante.
XXV.

VIx puer æthereas hauſiſti luminis auras,
Vbera cùm Chriſti tactus amore fugis.
Ergo viam Cæli calcas, dum viuere neſcis?
Deſpectoq; domas membra tenella cibo?
Si tibi fert vitæ tantos Aurora nitores,
Longæuo dederit quos tibi clara dies?

Ad Caſſandram Coniugem Amantiſſimam
In ſuæ Parentis Obitum.
XXVI.

SIc ploras, mea vita, tuam Caſſandra Parentem,
Plorat vt amiſſum Daulias ales Ityn:
Nocte tamen ſilet illa, iteras tu nocte querelas:
Non cibus ora iuuat, non ſopor oſſa iuuat,
Deſine perpetuas lacrymas, iam deſine luctus:
Quærere non fas eſt, quod reperire nefas.

Ad Socrum dulciſſimam moribundam.
XXVII.

ERgo peris, grataſq; negas dulciſſima voces?
Et feſtinati fulguris inſtar abis?
Cerne tuam Natam lugentem, cerne Maritum,
Dum loquor, heu ſubita lumina Morte natant.

Imme

Immemor es nostri, Cæli non immemor, alta
Dum moriens Iesu nomina voce refers,
I meritis munita tuis, & freta Tonante,
Nam fælix, Christo qua benè vixit, obit.

De D.Paulino primo Episcopo Lucensi, pro Luca, paulo ante Martyrium orante.

XXVIII.

IN *iugulum Pauline tuum dum stringitur ensis,*
Nil est quod Lucâ te magis vrbe premat;
Illa Deo parta est per te; vt seruetur Olympo,
Sedulus effundis plurima vota Deo.
Vota tenent; nam Luca fuit si grata Tonanti,
Nunc est grata magis quo tua cura magis.

Angelus D.Paulinum alloquitur.

XXIX.

A*Vdijt omnipotens, Heros fortissime, vota*
Audijt æternùm, iussit & esse rata;
Luca tibi dilecta fuit, testatur Amorem
En cruor, & mortem concomitatur Amor;
Illa tuis centum sacrabit honoribus Aras,
Seruet vt in templis tempus in omne decus,
Ignibus æternis sic dum lucebit Olympus,
Luceat Auspicijs libera Luca tuis.

FINIS.

